DE

ARNULFO FRANCORUM REGE.

COMMENTATIO HISTORICA.

SCRIPSIT

ERNESTUS DUEMMLER
PHILOS. DR.

BEROLINI.
IN LIBRARIA G. REIMERI.
1852.

VIRO ILLUSTRISSIMO

LEOPOLDO RANKE

HASCE PAGELLAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Praefatio.

Multa sunt ac varia, quae in praefationibus ad captandam lectoris benevolentiam, aut ad mitigandam judicis severitatem, a scriptoribus praemitti solent: argumenti difficultates permagnas esse, et quae vinci vix possint, si vires auctoris non suffecissent, voluntatem et diligentiam tamen laudandas esse, non opus omni numero perfectum, sed tentamen seu exercitationem quandam ingenii legentibus offerri, alia ejusmodi. Ego vero omnes has excusationes, quae grave existimatoris judicium lenire nequibunt, fautoribus meis inveniendas relinquens, priusquam rem ipsam aggrediar, id quod in hoc opusculo propositum mihi est, dilucide atque aperte significare volo, ne quis nimia exspectatione fallatur. Non enim dissertatio alieno sermone conscripta, ad enarrandam historiae populi nostri partem locus aptissimus esse visus est, praesertim cum iis temporibus, quibus maxime et diutissime operam dedi, magnopere etiamnunc, ut veritas recondita ab erroribus, in quibus plerique versantur, liberetur, opus sit. Itaque quae in sequentibus legentium oculis ostendam, non domus instar erunt, ad omnes utilitates plenissime ac pulcherrime instructae, verum lapidum tantum vel materiae ad illam aedificandam necessariorum, quae, mole utili ab inutili secreta, ferrumine ex rerum natura maxime idoneo quaesito, firmissimis et

certissimis aedificii adminiculis electis, exiguum saltem futuro architecto adjumentum afferent. Conabor ergo, diplomatibus praecipue adhibitis, ex omnibus illis, quae a testibus rerum gestarum aequalibus aut a scriptoribus posterioribus traduntur, virorum doctorum opera eidem argumento tributa usus ea enucleare, quae sola ad historiam horum temporum aliquando componendam apta esse possunt, lacunasque artem criticam sequutus conjecturis haud spernendis ex universa temporis ratione depromptis explere. Qua propter viris omne studium in scientiam historicam conferentibus hic laborum meorum fructus fortasse usui cuidam erit, illis vero qui delectationis solum gratia opera historica legere solent, magnum quin taedium moveat, facere non poterit, quia et in ipso argumento tractando summa inest jejunitas, neque in dicendi genere elegantia a facultate mea aliena nec consilio meo necessaria, sed, quoad potero perspicuitas et brevitas. Cum autem statuissem, de rebus sub Arnulfo Franciae orientalis rege gestis disserere, ab ejus maxime origine ordiri volui, qui singulas quasque quaestiones hoc loco propositas, eo quod consilia et fata sua ad omnes quodammodo referuntur, velut vinculum inter se connectit ac conjungit.

Cap. I.

Arnulfi origo.

Carolomannus filiorum Ludovici Germanici et Hemmae reginae natu maximus et bellicosissimus [1]), vir insigni corporis pulchritudine et robore praeditus, nec, si Reginoni fides est habenda, litterarum rudis, uxorem habuit sterilem [2]), Ernesti ducis filiam [3]), pariterque cum Liutswinda [4]), „nobilissima quidem femina, sed non legaliter sibi desponsata" [5]), quae ei Arnulfum filium peperit, consuetudinem habere solebat. Nonnulli sane hanc Ernesti filiam fuisse censuerunt, mea tamen sententia Hincmarum [6]) non recte interpretati, qui patrem concubinae Carolomanni profecto non socerum ejus nominasset. Anno jam 856 ei a patre marcam orientalem, quae eo circiter tempore Ratbodo comiti ob infidelitatem adempta fuerat [7]), administrandam

1) Erchanberti continuatio (Pertz Monum. Germ. histor. scriptor. II, 329). 2) Reginon. Chronic. a. 880.

3) Hincmar annal. Bertin. a. 861, Ann. Xant., 861. (Pertz SS. II, 232).

4) Vocatur ab Arnulfo in duabus chartis „mater nostra bone memorie Liutsvind". (Kleinmayrn Nachrichten von Juvavia diplom. Anhang p. 115) et „post obitum dilectae matris nostrae Liutsvindae" (Monum. Boica XXVIII, 1, 109; Boehmer regesta Carolorum No. 1088, 1117.)

5) Erchanberti breviar. (Pertz SS. II, 330).

6) a. 861. „Hludovicus socerum Karlomanni filii sui Arnustum honoribus privat"; a. 879 „filium de concubina nomine Arnulfum".

7) Ludowicus in tabula a. 859 scripta locum Tullinam Rat-

commissam esse, tradunt annales St. Rudberti Salisburgenses atque auctarium Garstense [1]. Quod ita intelligendum est, illi, sicut antecessoribus ejus, quorum nomina auctor anonymus de conversione Carantanorum prodit, [2]) quasi summam imperii tenenti caeteros comites, singulas quosque provincias regentes, subditos fuisse. Quod munus, cum et ob assidua contra Slavos certamina comites semper a viris bellandi peritissimis circumdarentur, et Moravi quemque Francorum regni inimicum, libenti animo adjuvarent, saepe saeculo nono magnos seditionis conflandae iis, qui eo fungebantur admovisse stimulos, compluria docent exempla. Carolomannus quoque foedere cum Rastislavo Moraviae duce facto, anno 861 res novas molitus, duces limiti Pannonico et Carinthiae praefectos expulit, ex quibus Papo Juvaviam se recepit [3]), et terram usque ad Aenum fluvium occupavit, aliis ei praepositis rectoribus [4]). Quamobrem sequenti anno a rege Ratisbonam in judicium vocatus, postquam de omnibus criminibus se ei purgavit, eam regni partem, quam sibi arripuerat, ejus consensu legitime obtinuit. Anno vero 863 apud patrem iterum absens accusatus, cum ad regium palatium venire nollet, ab eo bello petitus Rastislavi defectione et proditione Gundacari comitis sui captus est [5]). Cui dum pro mercede per-

---

bodo ablatum esse dicit, „quia ipse a nobis totis viribus se alienavit, et fidem atque jusjurandum omni infidelitate fraudavit". Mon. Boic. XXVIII, 50, (Boehmer 792).

1) Pertz SS. IX, 565, 770. cfr. Hirsch de procuratoribus Bavariae p. 22 — 23.

2) Kopitar Glagolita Clozianus p. LXXIV.

3) Auctar. Garst. a. 861 l. l

4) Hincmar 861, Ruodolfi ann. Fuldens., 861.

5) Ann. Fuld. 862 — 863, Hincmar 862, 863.

fidiae suae Carinthia vel pars ejus obtingit, ubi eum a. 864 praefectum fuisse charta quaedam [1]) docet, Carolomannus ab omni suspicione celeriter liberatus, in gratiam regis rediit et sequenti anno, fugae se mandans, marcas, quae sibi ademptae erant, cum consensu marchionum recuperavit [2]). Nec multo post Ludowico regnum inter filios sub sua ditione ita gubernandum dividente, „ut adhuc se vivente tantum denominatas curtes haberent, et minores causas disterminare curarent, episcopia vero omnia et monasteria, necnon et comitiae, publici etiam fisci et cuncta majora judicia ad se spectare deberent" [3]), natu maximus Bavariam et „marchas contra Slavos et Langobardos" i. e. Orientem (Oestreich), utramque Pannoniam, Carinthiam cum Carniolia a patre recepit [4]). Istria autem cum Liburnia, quae paullo post ab Odelrico marchione et comite sacri palatii Berengarii regis gubernabatur [5]), fortasse jam tunc Italico regno subjecta erat. Patre igitur a. 876 decedente, tres fratres in pago Sualifelt convenientes, regna prima divisione accepta, denuo, suo arbitratu administranda, sibi confirmarunt [6]). Vel

---

1) Kleinmayrn Juvavia Anh. 96 (Boehmer 806).

2) Hincmar, 864. 3) Erchanb. contin. l. l.

4) Adonis continuatio I, Francor. regum historia (Pertz SS. II, 325), Erchanb. contin., Hincmar 865 „Hludowicus Carlomanno marcas, quas ab eo tulerat, reddidit".

5) In chartis Berengarii Odelricus marchio vocatur, dum Waltfredus et Grimaldus marcae Forojuliensi praesunt (Boehmer 1345, 1354, 1358, 1363, 1368). Panegyristes Berengarii (L. II, v. 99) de eo scribit: „Vicinoque suas cogens ab limite turmas Olricus, Latium Hadriacis qua clauditur undis, Ac labor est saevis gladios praetendere Abaris"; quae verba cum Istriae situ optime conveniunt.

6) Regino 876, Ann. Fuld. 876.

eodem tempore, vel jam antea, postquam Gundacarus comes contra cives suos pugnans a. 869 obiit [1]), Arnulfum ducatum Carinthinum assecutum esse, valde est verisimile, cum et Regino a. 880 Carantanum ei a patre jam pridem concessum esse dicat, et in charta quadam [2]) eum, Carolomanno superstite, in Pannonia quondam Chozili subjecta regnantem inveniamus. Dominabatur autem in iis circiter terris, quas hodie Styriam, Carinthiam, Crainum vocamus, a Slavis et liberis et servis, qui cum Germanis commixti erant cultis, quarum civitas maxima Mosaburch erat „castrum munitissimum, eo quod palude impenetrabili locus vallatus, difficillimum adeuntibus prebeat accessum" [3]). Cum praeter Carinthiam, Pannoniam quoque Arnulfi „regnum" fuisse, scriptor Fuldensis [4]) memoriae prodat, de hujus provinciae situ et finibus valde ambiguis nonnulla disserere necessarium duxi. Saeculo enim VIII Aniso fluvio Bavariam finiente [5]), omnia, quae ab eo orientem versus patebant, vel recentioribus nominibus Hunia seu Avaria, vel antiquo Pannonia vocabatur, ideoque etiam postea Francorum imperio hunc terminum transgresso, is regnum Bavaricum a Pannonia separare credebatur [6]). Avaris autem in ditionem redactis, marcae orientales a comiti-

1) Ann. Fuld. 869.

2) Anamodi lib. tradition. (Pez Thesaur. anecdotor. I, 3, 217). Diaconus quidam Gundbato commutat nonnulla praedia in Pannonia sita „domino suo Arnolfo filio regali permittente".

3) Reg. 880. Mosaburch oppidum nunc excisum miliario Germanico a Klagenfurto et non longe a lacu Klagenfurtensi erat remotum. 4) Ann. Fuld. Pars V, 884.

5) Einhardi annal. a. 791, Meginfredi de vita Emmerammi lib. c. 6. (Canisii lectiones antiquae III, 1, 95.)

6) Inde dicit Ludovicus II. rex „Tullina situs in regione

bus gubernandae, trans Anisum fuerunt constitutae, quae Pannoniae nomen arctioribus finibus circumscribebant, ita ut interdum terra usque ad Arrabonem amnem modo sic appellaretur [1]). Ea vero provincia, quae proprie ita dici solebat, a septentrione Danubium et Moraviam, ab oriente eundem fluvium et Daciam [2]), a meridie Dravum et Slavoniam, habebat fines, et dividebatur in inferiorem et superiorem Pannoniam [3]). Quo limite eae separatae essent, nusquam expressis verbis commemoratum reperire potui; Arrabonem autem fluvium terminum fuisse, conjectura est admodum probabilis, quia Romanorum tempore jam ita distinguebantur, et Chozilis regnum, quod pars fuisse Pannoniae inferioris dicitur, hoc flumine finiebatur [4]). Hujus igitur tractus quidam, ab Arrabone fluvio inci-

---

Pannonia" (Boehmer 792 l. l.) Ann. Fuld. 900 „ultra Anesim fluvium (Ungari) regnum Bajoaricum hostiliter invaserunt."

1) Cfr. Dipl. ap. Mon. Boica XXVIII, 72 (Boehmer 955) „in oriente juxta fluvium Rabam".

2) Einhardi vita Karoli c. 15 „utramque Pannoniam et adpositam in altera Danubii ripa Datiam — perdomuit". Constantin. Porphyrog. de administr. imper. c. 42, κατοικοῦσι μὲν οἱ Τοῦρκοι πέραθεν τοῦ Δανούβεως ποταμοῦ εἰς τῆς Μοραβίας γῆν. Dioecesis a Pippino Arnoni archiepiscopo Juvavensi commissa, latuit „usque ad Dravum fluvium et eo usque ubi Dravus fluit in Danubium" (de convers. Carantan. l. l. p. LXXIII) cfr. versus Paulini Patriarchae Aquilejens. „(Hericus) Barbaras gentes domuit saevissimas cingit quas Drauva, recludit Danubius". (Bouquet recueil des historiens des Gaules V, 848).

3) Monachi Sangall. gesta Karoli II, 11. (Pertz SS. II, 754). Einhardi ann. 818, 827, 828.

4) Dedit Ludovicus rex Privinae, Chozilis patri „aliquam inferioris Pannoniae in beneficium partem circa fluvium, qui dicitur Sala (Szala)" (de convers. Carant. p. LXXIV). In charta quadam (Pez Thesaur. I, 3, 217) Chozil terras „juxta amnem,

piens, cum urbe Mosaburg (Szalavar) ad lacum Pelso (Plattensee) et Salam condita, et occidentem versus Petovium (Pettau) amplectens [1]), a. 849 Privinae duci beneficii jure traditus est (zu Leben gegeben), cui Chozil filius, patre a. 861 a Moravis Carolomanni, ut videtur, auxilio, necato, successit et usque ad Johannis VIII. papae tempora regnavit; annus mortis ejus non constat [2]). Deinde regionem usque ad Pelso lacum Arnulfo obtigisse, probatur et diplomate supra laudato [3]), in quo inter loca a Chozili quondam possessa etiam Quartinaha ad Bilisaseo (Plattensee) nominatur, et alia tabula, ex qua tractum illum tunc comitatum Dudleipam vocatum esse cognoscimus [4]), et annalibus Fuldensibus, regi Francorum a. 896 urbem Paludarum (i. e. Mosaburg s. Szalavar) obtemperasse referentibus [5]). Idem Pannoniam quoque superiorem rexit, cujus terminum ab occidente, ubi marcam orientalem tangebat, montem Cetium (Wienerwald) fuisse conjicio, annalium Fuldensium testimonio usus, qui cum Carolus Crassus a. 884 ad Tullinam fluvium in

---

qui dicitur Raba" dono dedisse fertur. cfr. Ann. Fuld. 884 „Pannonia de Hraba flumine ad Orientem tota".

1) Luitprammus archiepiscopus Juvavensis „ad Bettoviam" in territorio Privinae ecclesiam consecravit (de conv. Carant l. l.)

2) Johannes VIII papa (872 — 882) epistolam ad eum dedit ap. Wattenbach Beitraege zur Geschichte der christl. Kirche in Maehren. p. 49.

3) Pez Thesaur. I, 3, 3, 217.

4) Kleinmayrn p. 116 (Boehmer 1089) „in comitatu Dudleipa vocato in Ruginesveld sicut Chozil dux quondam inibi ad opus suum habere visus est". cfr. Hormayr Herzog Luitpold p. 88.

5) „Imperator Pannoniam cum urbe Paludarum tuendam Brazlowoni duci suo, in id tempus commendavit". Hormayrus (l. l.) urbem illam Mosaburgam Chozilis, nunc Szalavar fuisse existimat.

Oriente in radicibus montis illius currentem, cum Suatopluco conveniret, eum „in terminis Noricorum ac Slavorum" colloquium habuisse tradunt [1]); etiam Romani ibi Pannoniae finem constituerant. Melius de obscura harum regionum condicione dijudicare possemus, nisi situs locorum in chartis et scriptoribus occurrentium densissimis saepe offusus esset tenebris, quae a me parum dissipari potuerunt.

Carolomannus a. 877 ante Carolum fratrem Italiam praeoccupare conatus, dum exercitus ejus gravi pestilentia laborat, ipse morbo captus est, cujus non erat remedium, et lectica super montes delatus in Bavariam rediit [2]). Ex quo valetudo ejus adeo erat infirma, ut per annum sine spe jaceret et filius unicus certe totam rem publicam gereret, indeque se patris imperium eo mortuo excepturum esse, in spem adduceretur. Habuit autem Ludowicus III junior, Francorum et Saxonum rex, Carolomanni frater, secundum divisionem imperii a. 817 a Ludowico Pio factam, qua praescriptum est: „Si vero absque legitimis filiis aliquis eorum (regum) decesserit, potestas illius ad seniorem fratrem revertatur" [3]), post illius mortem jus in regnum Bavaricum succedendi, ideoque anno 879 ineunte, cum Carolomannus paralysi tactus loqui haud amplius posset, in Bavariam profectus, ejus terrae

1) Ann. Fuld. Pars IV, a. 884. Non ignoro, nonnullos Leitham fluvium marcae orientalis terminum fuisse opinatos esse, Medelicham in charta a. 892 commemoratam (Kleinmayrn, 117) Mödling, urbem autem ab Heimone Arnulfi ministeriali a. 888 exstructam (ib. 118) Heimburg, utramque inter Leitham et montem Cetium sitam, esse, ratos; sed et haec conjectura argumento caret, et Medelicha eodem jure pro Mölk haberi potest.

2) Erchanb. contin. l. l., Ann. Fuld. 877, Hincm. 877.

3) Pertz Leges I, p. 200.

optimates ad jusjurandum adegit, se illo mortuo „nullum alium super se regem" suscepturos esse. Post cujus discessum Arnulfus partem regni occupare coepit et „propter quandam dissensionem inter Carlmannum patrem suum et eos factam" Erambertum, comitem, ut Buchnerus demonstravit, pagi Isanahgowe [1]) aliosque sui imperii contemptores expulit, qui Francofurti Ludowici fidem statim implorarunt. Quapropter hic celeriter in Bavariam reversus, pristinos eis restituit honores, et a fratre arcessitus, qui morti jam vicinus, illi „et se ipsum et uxorem et filium universumque regnum scripto commendavit," victum necessarium ei suppeditandum curavit [2]). Injuste tamen hoc modo regis jura, fratre vivente, ab eo arrepta esse, et quasi juramenti sui in conventu Sualifeldensi dati „praevaricatorem" exstitisse, multi homines existimaverunt, quos annalium Fuldensium auctor, eo quod Carolomannus et ipse pacem Italiam sibi sumendo violasset, redarguere tentat. Nec multo post rex Bavariae aut die 22 mensis Martii ex annalibus Fuldensibus, necrologio Prumiensi [3]), Reginone, necrologio St. Emmerammi aut die 22. m. Sept. ex necrologio Augiensi [4]), calendario Merseburgensi [5]), charta quadam

1) Meichelbeck Historia Frisingensis I, 2. p. 359 No. 730; Buchner Dokumente zur bairischen Geschichte, II, 47.

2) Ann. Fuld. 879 „cui rex episcopatus, et abbatias et comitatus ad servitium delegavit;" Hincmar. 879, Ann. Colonienses, 879 (Pertz SS. I, 98).

3) Archiv für ältere deutsche Geschichtskunde, III, 23; ap. Reginonem perperam VII. Non Apr. legitur. Necr. St. Emm. ap. Monum. Boica, XIV. p. 365. seq.

4) Mittheilungen der antiquarischen Gesellschaft in Zürich, VI, 55, seq.

5) Höfer's Zeitschrift für Archivkunde, I, 111, seq.

Arnulfi [1]) anni 880 in villa Ottinga (Alt-Oettingen) mortuus et sepultus est [2]), Ludowico autem Ratisbonam venienti, omnes proceres Bavarorum se subjecerunt, Arnulfo ea modo provincia, quam pater ei aliquando tradiderat, concessa.

Duobus annis post, Ludowico vitam ponente, Carolus Crassus, filiorum Ludowici Germanici natu minimus eum subsecuturus Bavariam mense Majo anni 882 adiit, cui inter primores ex imperio fratris sui ab eo receptos, certe Arnulfus quoque, in „ligno stae crucis" ut fertur [3]), fidei jusjurandum dedit [4]). Mense Julio ejusdem anni, contione universa Borbetomagi habita, imperator cum exercitu ex omnibus regni sui partibus, etiam ex Italia conflato contra Normannos, qui Asclobae ad Mosam [5]) castra muniverant, profectus, ipse ad sinistram Rheni ripam iter fecit, dum Arnulfus cum Bavaris, quibus praeerat, ad dextram progreditur. Qui Antonnaci fluvium transgressus cum Heinrico Francorum duce praemissus est, ut hostium partem insidiis interciperent, sed illis per proditores Francicos ut ferebatur hoc comperientibus, re infecta ad regem redierunt [6]). Qui cum per dies duodecim Danos in munitione obsedisset, tandem cum eis, qui jam in summo discrimine versabantur, receptum inte-

---

1) Miraei opera diplomatica, I, 650. (Boehmer, 1069). Utri testimonio major fides habenda sit, nescio.

2) Excerpta Altahensia a. 880. (Perz SS. IV, 36); Herimannus Augiensis a. 880, Regino 880. Diploma Arnulfi. Monumenta Boica III, 309 (Boehmer, 1144).

3) Ann. Fuld. Pars IV, a. 887.

4) Ann. Fuld. a. 882, Pars IV et Pars V.

5) Ad confluentes Aschae et Mosae infra Leodium situm erat cfr. Pertz I, p. 396 adn. 1.

6) Ann. Fuld. Pars V, a. 882.

grum et grandem pecuniam cum Frisiae ducatu concedendo valde ignominiosam pacem composuit, cujus causae hoc loco non explorandae sunt [1]). Expeditio vero haec, Carolo ab omnibus contempto [2]), Arnulfo tunc primum gladium suum in totius Europae conspectu sanguine paganorum tingenti, magnam attulit spem, multis jam eum solum, cui ab atavo totius Carolorum stirpis St. Arnulfo episcopo Mettensi idem nomen impositum erat [3]), Carolo Magno dignum fore imperii successorem, providentibus [4]). Dum haec trans Rhenum aguntur, in termino orientali acciderunt res, quarum, quia maximi erant momenti, primordia, quoad poterimus, persequenda sunt. A rege enim Ludowico Germanico duobus germanis Guilelmo et Engilscalco, ex Pritzii probabili conjectura [5]) filiis Guilelmi comitis et Engilradae, qui ab anno 820—853 in chartis eidem provinciae praefecti occurrunt [6]), cura

1) Ann. Vedastini, 882, Hincmar. 882, Ann. Fuld. 882. Pars IV et V.

2) Ann. Fuld. Pars IV, 882 „exercitus valde contristatus dolebat, super se talem venisse principem, qui hostibus favit, et eis victoriam de hostibus subtraxit, nimiumque confusi redierunt in sua."

3) Regino 880 „ob recordationem reverendissimi Arnolfi," Poeta Saxo, V, 135.

4) Monachi Sangall. gesta Karoli M. II, 14 (Pertz II, 757), Erchanberti breviarium (Pertz SS. II, 330) „Carlomannus filios non habuit nisi tantum unum, nomine Arnulfum, — — qui adhuc vivit, et o! utinam vivat, ne extinguatur lucerna magni Ludowici de domo Domini."

5) Pritz Geschichte des Landes ob der Enns I, p. 321 — 322.

6) 820 „Willihelm comes" testis adest ap. Monum. Boica, XXVIII, II, p. 37; 826 donatio ejusdem „ad Teningon" facta: Chronicon Lunaelacense p. 66; 833, 834 duae ejus traditiones ad st. Emmerammum: Bernard. Pez Thesaur. anecdot. I, 3. 244, 245. 853: Monum. Boica, XXVIII, I, 45 (Boehmer No. 766).

duarum marcarum orientalium erat commissa; quod quamvis nonnullis scriptoribus anno demum 870 factum esse visum esset, a Buchnero rectius priori tempori, ita ut a. 861 jam munere eo functi essent, assignatum est [1]), charta quadam adhibita, qua Guilelmum a. 868 marcam in dextra Danubii ripa sitam, quae Treismafeld [2]) vocabatur, tenuisse certiores fimus [3]). Anno 870 Carolomannus, Suatopluci, Rastislavi nepotis, proditione regno Moravico potitus [4]), ejus oppida iis defendenda tradidisse videtur, cum anno sequenti Sclagamarus, Suatopluci a Carolomanno comprehensi loco a civibus suis dux electus, ea illis eripere frustra niteretur [5]). Suatoplucum tamen libertati redditum exercitus Bavarorum, ut opem contra illum, qui injuste regnum invaserat, ferret, secutus, ab eo fidem fallente repente undique circumdatus et ad internecionem deletus est [6]). Cum Hincmarus, Carolomanni „markiones cum plurima turba suorum" periisse, annales Fuldenses, Guilelmum et Engilscalcum, qui „multa pro patria tuenda sudasse" ferebantur, „tandem diem ultimum hujus aëris in eadem voluntate permanentes" finivisse, referant, quin tum caesi sint, in dubium vocari non potest. Quorum comitatum utrumque rex non filiis propter teneram eorum aetatem, sed Ariboni comiti tradidit, quem charta a. 876 pago Traungowe praefuisse tes-

1) Buchner Dokumente zur bairischen Gesch. II, 38 — 39.

2) Monum. Boica, XI, 427 (Boehmer No. 821). Pagus Treismafeld nomen ceperat ab oppido Trigisamo, tunc Treisma, nunc Traismauer vocato.

3) Ann. Fuld. a. 871, 884.

4) Ann. Fuld. 870, Hincmar. 870.

5) Ann. Fuld. a. 871; Palacky Geschichte von Boehmen, I, 128; Hincmar, 871.

6) Ann. Fuld. l. l., Ann. Xantenses a. 872 (Pertz SS. II, 234.)

tatur [1]). Cum marcis enim orientalibus hic et Grunzwiti pagus, inter Ilz et Camp fluvios in sinistra Danubii ripa situs [2]), qui ad Bavariam pertinebant, hac ratione conjuncti esse solebant, ut eorum comites marchionum pariter Orientis officio fungerentur. Post mortem autem Ludovici III, a. 882, filii Guilelmi et Engilscalci, quamvis pueruli, quasi haereditarium jus suum obtenturi, patrum comitatus sibi poposcerunt et Aribonem, qui foedus cum Suatopluco feriens Isanricum filium ei obsidem dedit, vi armorum expulerunt [3]). Hic, cui Carolus Crassus dignitatem suam confirmaverat, mox a Suatopluco exercitu est adjutus, qui ann. 883 marcam in sinistra Danubii ripa devastans, Werinharium alterum Engilscalci filium, Vezzilonem comitem, multos socios foede mutilavit, eorumque praedia ad utramque fluvii partem adjacentia diripi jussit. Quibus rebus exterriti adolescentuli, qui regem adversarium habebant, Arnulfi, in Pannonia finitima dominantis et jamdiu Suatopluco infensi, ut ab eo contra communem hostem defenderentur, vassi effecti sunt. Moraviae dux, hanc occasionem nactus, postquam ille de expeditione anno praecedente a nonnullis vassorum suorum cum Bulgaris in Moravos suscepta illi satisfacere noluit, Pannoniam multis copiis funditus vastare coepit; idemque sequenti anno (884) iteravit [4]). Tum in terram suam reversus, partem exercitus supra Danubium misit, quacum Megingoz et Papo, natu maximi filiorum

---

1) Monumenta Boica XXVIII, I, 61.

2) Haec est Buchneri opinio: Documente etc. II, 55.

3) cfr. de his omnibus. Ann. Fuld. Pars V, a. 884. Isanricus nominatur a. 898, 899.

4) Ann. Fuld. l. l. „instanti anno, quo ista computavimus, iterum dux — hostiliter in Pannoniam."

Guilelmi et Engilscalci imprudenter congressi, in fugam conversi sunt et in Arrabone fluvio vitam finierunt. Imperator denique mense Novembri vel Decembri cum Suatopluco Commagenis (Koenigsstaedten) ad Tullinam fluvium (Tuln) in Oriente conventum habuit [1]), de quo nihil aliud annales Fuldenses referunt, nisi quod ille vassus imperatoris factus, quamdiu Carolus vixerit, nunquam se ejus regnum tentaturum esse promiserit. Res sane mira esset, si Moraviae dux, qui antea semper se Francorum inviso jugo exuere studuerat, post bellum felicissime neque contra regis voluntatem gestum, id ultro fecisset, quod unquam se facturum esse hucusque vehementer negaverat. Recte igitur Dobnerus [2]) et Palackyus [3]) verba annalium Fuldensium ambigua: „Vituperarunt autem pacem, qua conservata Pannonia conservata est, qua vero vitiata, per spacium tantum isto continuatim tertio anno dimidio instanti Pannonia de Hraba flumine ad Orientem tota deleta est," ita intellecta voluerunt, Suatoplucum tum modo pro Pannonia ab ipso expugnata Carolo homagium reddidisse (Huldigung geleistet). Quamobrem mirari non licet, quod Arnulfus pacem sibi tam iniquam sequenti demum anno ratam fecit [4]). Verba illa, cum Pannoniam superiorem solam significare videantur, inferiorem tunc temporis concessam esse haud crediderim; sine ulla dubitatione autem pro certo affirmari

---

1) cf. Ann. Fuld. Pars IV, a. 884.

2) Dobneri annales Bohemorum Hageki, III, 221.

3) Palacky Gesch. von Boehmen, I, p. 142 n. 109. Argumenta, quibus Wenckius (die Erhebung Arnulfs p. 24 n. 23) hanc opinionem redarguere tentat, Dobnerum erravisse, mihi non satis persuaserunt.

4) Ann. Fuld. (Pars V.) a. 885.

potest, eam, comitatu Dudleipa excepto [1]), et ipsam sub Suatopluci ditione fuisse, quia et Constantinus, ejus regnum, magnam Moraviam a Syrmio initium cepisse dicit [2]), et legati, qui ex Francia a. 892 ad Bulgaros iverunt, propter Moravorum insidias per Odram [3]), Colapim (Kulpa), Savum iter facere coacti sunt [4]). Num Chozilis regnum totam hanc regionem usque ad Dravum et Danubium amplexum sit, parum constat, at non prorsus id veri dissimile esse putares, si locus ad V basilicas, cujus anonymus de conversione Carantanorum mentionem facit [5]) Fünfkirchen explicaretur et ducem illum in vita St. Clementis „τὸν τῆς Παννονίας συμπάσης κρατοῦντα" appellari perpenderetur [6]). Quomodocunque res se habet, tractus ille Pannoniae dominatui Francorum antea subjectus, ab iis pace aliqua ad Moravos, qui maxime eam incolebant, transiit, et, ut equidem suspicor, ea, quae a. 873 magnis detrimentis a Slavis acceptis finem imposuit [7]). Qua conjectura probata, quod a. 882 Bulgari, una cum Arnulfi vassis regnum Moravicum invadere potuerint, minus mirabile nobis videbitur [8]). In eodem conventu Commagenis habito, etiam Brazlawo dux, qui terrae inter Dravum et Savum sitae praeerat, imperatori manus

---

1) Vide supra p. 8 n. 4.

2) Constantin. de administr. imper. c. 40.

3) Fluviolus, qui in Colapim effunditur.

4) Ann. Fuld. a. 892.

5) Luitprammus, arepus Juvav. ibi ecclesiam dedicavit. Kopitar Glagolita Clozianus p. LXXIV.

6) Vita St. Clementis ed. Miklosich, Wien 1847, p. 6. c. 4.

7) Hincmar. a. 873. Ann. Fuld. a. 874 ficta de hac pace referunt, quae Palacky, (Gesch. v. Boehm. I. 134, n. 97.) satis refutavit.

8) Ann. Fuld. (Pars V.) a. 884.

dedit (wurde sein Vasall) [1]. Perperam eum multi scriptores, filium et successorem Chozilis fuisse existimarunt, quamvis hic in Pannonia, ille in Slavonia, in regionibus plane diversis regnaret. Praetermittere hic non possum, a conventu generali in villa Coloburg ex annalium Fuldensium testimonio [2]) edictum esse, ut Bavari in Italiam contra Widonem ducem Spoletinum proficiscerentur „belligera manu.“ Sed neque utrum revera hoc mandatum exsequuti sint, necne, neque, num inter eos etiam Arnulfus fuerit, exploratum habemus. —

Pace illa ignominiosa Arnulfi gladius „non propter ignaviam, set propter inopiam rerum angustiamque terrarum“ „in rubiginem versus“ est [3]) ac quin ex hoc tempore acres ei cum Carolo Crasso inimicitiae intercederent, fieri non potuit. Hic paullo post a. 885, Carolomanno mortuo qui puerulum tantum fratrem reliquerat, a Francis occidentalibus creatus totum paene Caroli magni imperium, marca Hispanica et regno Arelatensi exceptis, rursus conjunxerat. Cum autem ex Richarda, uxore sua non haberet liberos legitimos atque aegro et corpore et animo esset, Franciae orientalis proceribus et episcopis magnopere curae esse debuit, ad quem post illum jus succedendi pertineret. De Carolo filio Ludowici Balbi ex Adalheide posthumo, qui mense Sept. anni 879 natus erat [4]), nulla cogitatio injecta fuisse videtur, quoniam ex extero populo ortus sit, et Franci quoque occidentalis Carolum Crassum eligendo eum non respexerint. In Germania vero nulli

1) Ann. Fuld. l. l.
2) l. l.
3) Monachi Sangall. gesta Karoli M. II, 14. —
4) Regino 878, Ann. Vedast. 879. —

jam legitimi Carolorum posteri exstabant, sed duo tantum nothi, et Arnulfus a natu maximo filiorum Ludowici Germanici et concubina quidem sed nobili femina procreatus, quem multi jam ob fortitudinis famam desideraverunt; et Bernhardus, imperatoris filius ex pellice sublatus [1]), qui neque ad maturam tum pervenerat aetatem [2]), neque admodum in populi gratia fuisse videtur, cum scriptor Fuldensis [3]) in hoc laetetur, quod patris „fraudulenta consilia" ad successionem ei parandam „Dei nutu dissipata" sint, et monachus Augiensis, qui Erchanberti breviarium continuavit [4]), magnam in Arnulfo collocans spem, de Bernhardo prorsus taceat et ut Deus ex Richarda „semen exsuscitare dignetur" tantum exoptet. Neutrum eorum, legitimo regni herede exsistente, ullo juro summa rerum potiri potuisse, et divisio imperii a. 817 a Ludovico Pio facta docet, qua filii ejus erga liberos „ex concubinis" ortos modo „misericorditer" ut agant admonentur [5]) et ex eo apparet, quod regnum Bavaricum secundum illud praeceptum post Carolomanni mortem ad fratres ejus Ludovicum et deinceps Carolum transiit, qui Arnulfo Carinthiam solam concesserunt et quod proceres Francorum a. 889 successioni nothorum Arnulfi filiorum repugnarunt [6]). Quare etiam Hugo, filius Lotharii II

1) Regino 887 quem ex pellice susceperat; ann. Fuld. P. IV, 885 filium suum ex concubina.

2) Monachus Sangall. (gesta Karoli M. II, 12. ap. Pertz SS. II, 756) a. c. 884—887 ita scribit: „Quam (causam) antea non absolvam, quam Bernhardulum vestrum spata femur accinctum conspiciam." —

3) Ann. Fuld. P. IV, 885.

4) Erchanberti continuatio (Pertz SS. II, 329). —

5) Pertz Leg. I, 200. —

6) Ann. Fuld. a. 889.

et Valdradae pellicis cum regnum paternum, quod haud minus, quam Germania vel Gallia proprii juris fuerat armis recuperare conaretur, luminibus privatus et monachili veste indutus in monasterio Prumiensi de vita decessit [1]). Sed cuinam regnum Franciae orientalis, Carolo mortuo, tribuendam erat, cum et „ex consuetudine olitana,“ ut Carolus Calvus ait [2]). Franci a regibus hereditario jure „ex genere“ prodeuntibus administrari solerent, neque in singulis totius nationis gentibus penes singulos viros tum jam tanta esset potentia, ut inveterato, ut ita dicam, imperii communis vinculo soluto, proprium sibi quisque constituere potuisset ducatum, neque ullus eorum inter caeteros adeo praestaret, ut se ei ob suam ipsius dignitatem absque hereditario jure obtemperare sustinuissent; quod vigesimo, vel si mavis tricesimo demum anno post, multis acriter repugnantibus, factum est. In qua rerum difficultate unum tantummodo ad leges regni undique violatas et contemptui habitas conservandas remedium relictum esse videbatur, ut omnes in origine non legitima conniventes et majorum exemplum imitati, qui Caroli Martelli nothi ductu Arabes gloriose devicerunt, Arnulfo, ab ejus genere oriundo omnes ad unum se subjicerent. Et hanc quidem plurimorum hominum fuisse sententiam ex Assero Anglosaxone, viro ab om-

1) Regino a. 883, 885, Ann. Vedast. 885.

2) Libellus Caroli regis adversus Wenilonem a. 859 ap. Pertz Legg. I, 462 cf. epist. Fulconis ad Arn. regem (Flodoard. Hist. Rhem. IV, 5) „Francorum — mos semper fuerit, ut rege decedente alium de regia stirpe vel successione — eligerent;“ epist. Hattonis ad Johannem IX. papam (Boczek cod. dipl. Morav. I, 64) „quia reges Francorum semper ex uno genere procedebant, maluimus pristinum morem servare, quam nova institutione insidere.“ —

nium partium studio alieno discimus, qui ad eum principalem sedem regni „juste et merito provenisse asserit," quia solus „haereditarius illius — erat in paterna parte." — [1])

Rodeamus nunc ad Caroli III imperatoris ultima fata et exitum. Hujus enim viri, cujus unicae paene virtutes pietas et clementia a multis scriptoribus satis collaudantur [2]) temporibus illis turbulentis jam minime sufficientis auctoritas per omnes imperii partes valde erat labefactata, praesertim ex eo die, quo iniquissima pace Normannis Frisiam concessit. Neque alio modo, quam dolo et proditione hostibus eam rursus eripere potuit. In Germania ipsa rixae procerum regem nihil pendentium eo proruperunt, ut cruentas committerent pugnas et alter alterius terras igni et gladio vastaret; talia erant certamina Aribonis et filiorum Guilelmi et Engilscalci, quae supra commemoravimus; talia Popponis comitis Thuringici et Eginonis comitis Francici (a. 882 — 883) [3]); in Italia Wido dux Spoletinus majestati imperiali aperte repugnavit et non tam armis superatus quam veniam delictorum impetrans in regis gratiam rediit; populus et clerus Romanus suo arbitratu sine imperatoris consensu papam sibi elegerunt [4]). In Franciam occidentalem, cujus caput Lutetia Pari-

1) Asseri vita Alfredi ap. Bouquet VIII, 99.

2) Erchanberti contin. l. l. nominat eum „mansuetissimum Karolum;" Regino a. 888: „Fuit vero hic christianissimus princeps, Deum timens, et mandata ejus ex toto corde custodiens, ecclesiasticis sanctionibus devotissime parens, in eleemosynis largus, orationi et psalmorum melodiis indesinenter deditus, laudibus Dei infatigabiliter intentus, omnem spem et consilium suum divinae dispensationi committens." —

3) Ann. Fuld. a. 882, 883. —

4) Ann Fuld. Pars IV. a. 885.

siorum jamdiu a Normannis obsidebatur, Carolus a. 886 ad eos arcendos arcessitus, mensibus Octobri et Novembri cum „Germanicis et Francis“ [1]) apud hanc urbem moratus est, Heinrico autem comite fortissimo hostium insidiis intercepto [2]) inde „perterritus“ et „vere consilium miserum capiens“ latronibus illis se civitatem redemturum esse promisit, et „per Burgundiam vagandi licentiam“ dedit [3]). Deinde, spe Francis occidentalibus quam ostenderat, prorsus erepta, celeriter in Alsatiam se recepit mense Jan. anni 887 [4]), „ibique per plures dies jacuit aegrotus.“ [5]) Inde parum convalescens in Alamanniam mense Febr. profectus, in curte Podoma (Bodmann prope Ueberlingen) „pro dolore“ caput incidi jussit ac dein post pascha (16. Apr.) conventum procerum in villa regia Weibilinga habuit. In quo Berengarius, marchio Forojuliensis Liutwardi episcopi Vercellensis, regis archicancellarii et primi consiliarii, cui anno praecedente ob raptam ex monasterio Brixiensi fratris Unruochi filiam et ab ejus nepote in matrimonium ductam civitatem ipsius exspoliaverat, magnis muneribus veniam petivit [6]); tanta hujus viri, qui „plus quam imperator ab omnibus honorabatur et timebatur“ etiam tunc gratia erat [7]).

1) Diploma ap. Bouquet IX, 358 (Boehmer No. 1010).

2) Ann. Fuld. a. 886, Ann. Vedast. 886, Ann. Alamannici 886 (Pertz SS. I, 52). —

3) Ann. Fuld. (Pars IV.) a. 886, Ann. Ved. 886, Regino 887.

4) cfr. Boehmer 1011, 1012.

5) Ann. Fuld. Pars IV, a. 887.

6) Ann. Fuld. Pars IV, a. 887, Pars V, 886, 887. Boehmer 1016. Weibilinga illa, villa regia, sita erat ad Nicrum fluvium inter Heidelbergam et Mannheimium cfr. Pertz SS. V. p. 109 adn. 39. —

7) Ann. Fuld. P. IV, 887.

Nec multo post, cum Carolus mense Junio [1]) Kirchheimii resideret, Allamanni, qui Liutwardo jamdudum irati erant, in eum conspirantes tantas accusationes conflarunt, ut rex hunc „virum sibi percharum et in administrandis publicis utilitatibus unicum consiliarium" multis benificiis (Leben) privatum, „cum dedecore" e palatio ejiceret. Quorum criminum multa ficta fuisse, praesertim adulterium cum imperatrice factum, cujus a Reginone [2]) solo arguitur, et „haeresin" de qua ei auctor IV partis annalium Fuldensium summi in eum odii plenus tantum objicit, manifestum est, aviditatis tamen pecuniae eum non immerito accusatum esse, ex eo sequi videtur, quod anno 899 fugae se dans cum „incomparabilibus thesauris" in Ungarorum manus incidit [3]): Carolum vero modo factione illa Allamannorum oppugnatum familiarem suum, qui huc usque ad gubernacula rei publicae ipse sederat, dimisisse, charta quadam, ut Gagern [4]) recte cognovit vel inter 17. et 23. Jun., vel post 21. Sept. data [5]) satis demonstratur, qua Adelberto illius nepoti possessiones ademptas reddens haec verba loquitur: „Credimus quoque ad plurimorum pervenisse notitiam qualiter nos quibusdam exortis occasionibus Liutwardo venerabili episcopo paululum commoti honores abstulimus . . . . . . Nos quoque ad pristinam tranquillitatem animum revocantes etc." In eodem illo conventu Kirchheimensi Richardis regina adulterii rea in judicium vocata est,

1) Boehmer 1017, 1018. Ann. Fuld. P. IV et V a. 887.

2) Regino a. 887.

3) Regino a. 901.

4) Gagern vita Arnulfi Imperatoris, p. 41.

5) ap. Schöpflin codex diplomaticus Alsatiae I, 94. (Boehmer 1015). —

sed cum publice Deum obtestata confirmaret se neque cum imperatore, cujus per 25 annos [1]) conjux fuerat, neque cum ullo unquam alio viro concubuisse crimine absoluta est ac reliquam vitam in monasterio Andelahensi ab ipsa constructo degit [2]). Postea haec virginalis imperatrix sicut sancta femina adorata est, eamque ignis judicium, quod subire prompta fuerat, miraculo incolumem toleravisse, nonnulli finxerunt [3]). Regis vero, qui post nuptias cum pellice coire solebat, abstinentiae votum quoddam causam fuisse ex Hincmaro fortasse conjiciendum est. Nam cum Carolus etiam regios honores nondum adeptus saepius morbo terribili laboraret, cujus auctorem diabolum vel spiritum malignum esse vulgus existimabat, eo vexatus a. 873 [4]), patre fratreque praesentibus, se „seculum dimittere" (i. e. monachum fieri) velle et „uxorem suam carnali commercio non contingere" exclamavit; idemque malum orando et ecclesiae commodis inserviendo avertere tentabat. Nunc igitur, postquam duorum

1) Hincmar. a. 862 „Hudowicus — relicto in patria filio Carolo, quoniam nuper uxorem Ercangarii comitis filiam duxerat." In statutis abbatiae Andlaviensis (Grandidier II, 304) commemoratur a Richarda „genitor Herchangarius" cf. Dipl. ap. Grandidier II, 251 (Boehmer, 802). —

2) Andelau in Alsatia Herimannus Augiensis a. 887, Regino 887 Reginonis de Richarda narratio mihi quoque dubia est visa, sed nihil certi enucleari potest. cfr. Wenck die Erhebung Arnulfs p. 19.

3) Legenda st. Richardis ap. Grandidier histoire de l'eglise de Strasbourg II, CCCX „cereatam camisiam ei ad cutem induerunt, et in 4 partibus ipsam incenderunt. Ipsa vero quasi ovis mansuetissima immobilis stetit, et ignis divinitus est extinctus et in nullo eam laedere potuit." —

4) Ann. Fuld. a. 873 (Pertz SS. I, 385), Ann. Xantenses a. 873 (Pertz SS. II, 235), Hincmar. a. 873.

illorum hominum, qui usque ad eum finem imperii labefacti adminicula fuerant sua prudentia regis consilii inopiam obtegentes, alter Lutetiae a Normannis trucidatus alter in exsilium missus est, imperatore „gravissima infirmitate" et corporis et animi affecto [1]), via quasi aperta seditioni, quam multi jam exoptarunt, data est. —

A qua parte universa defectio initium ceperit, utrum a proceribus, qui „videntes imperatoris vires ad regendum imperium invalidas" [2]), ducem Carinthinum ultro vocaverint, quae est Reginonis opinio [3]), an ab Arnulfo, quocum Liutwardus ad eum confugiens in regem dejiciendum conspiraverit, ut annalium Fuldensium pars IV testari videtur [4]), in medio relinquamus oportet. Hoc si verum esse judicaverimus, fortasse aliquis interrogabit, cur Carolomanni filius mortem aegroti patrui propinquam non exspectaverit, post quam totum regnum ad se transeat necesse fuerit. Alii alio modo hujus rei causas anquirere conati, Carolo propositum fuisse censuerunt, vel ut Bernhardum filium suum imperii heredem institueret, quod antea a. 885 per papam agere voluerat [5]), vel ut Ludowicus, filius parvulus Ermengardae, filiae Ludowici II imperatoris,

1) Ann. Fuld. Pars V, a. 887. Mox vero Caesar gravissima infirmitate detentus est. Ab illo ergo die etc. Regino 887. His ita gestis Imperator corpore et animo coepit aegrotare. —

2) Ann. Vedast. a. 887.

3) Regino 887 Cernentes optimates, non modo vires corporis, verum etiam animi sensus ab eo diffugere, Arnulfum ultro in regnum attrahunt. —

4) ann. 887 „ille (Liutwardus) in Bojoariam ad Arnulfum se contulit, et cum eo machinari studuit, qualiter imperatorem regno privaret". —

5) Ann. Fuld. P. IV. a. 885.

sibi a. 887 filius adoptatus [1]) succederet, ideoque Arnulfum consilia illa praevenire oportuisse. Sed et haec opinio, cui visio a monacho aliquo imperatori post ejus mortem afficta [2]) parum fidei facit, per se est veri dissimillima, neque illa certis argumentis nititur; quocirca hic quoque caliginem dispellere nobis non licet. Mense Novembri anni 887 cum Carolus post diem St. Martini [3]) contionem generalem Triburiam convocasset, nescius, eam signum seditionis totius populi fore, certior repente factus est, Arnulfum exercitum ex Bavaris et Carantanis constantem adversus se admovere [4]); quem ille primo armis petere statuens brevi post ob Allamannorum animos consternatos ab hoc consilio desistere debuit [5]). Francorum enim orientalium optimates plerique ex composito ad novum regem transeuntes ei homagium reddiderunt, eosque paullo post Saxones et Thuringi secuti sunt, tandem etiam Allamanni, inviti et metu coacti, ita ut postremo ipsis servitoribus pristinum dominum deserentibus [6]) „in triduo vix aliquis remaneret, qui ei saltem officia

1) Ann. Fuld. P. V. a. 887.

2) Visio quam vidit Karolus ap. Histoire de l'académie des inscriptions, Tome 36. p. 220 sqq. „Sciant ergo omnes velint aut nolint quoniam secundum Dei voluntatem in manu ejus (Ludowici) revertetur imperium etc." Wenckius (die Erhebung Arnulfs p. 13) adoptionis illius rationem optime explicavit. —

3) Regino 887, Ann. Hildesheim (Pertz SS. III, 50) 887 post festivitatem St. Martini.

4) Ann. Fuld. Pars IV, 887. Arnulfus cum manu valida. Noricorum et Sclavorum supervenit et ei molestus efficitur.

5) Ann. Fuld. V, 887. Karolus nitens bellum contra Arnulfum regem instaurare, sed non proficit, concussis timore Allamannis. —

6) Ann. Fuld. Pars V. 887 omnes penitus ab eo defecerunt,

humanitatis impenderet" [1]). Quomodo tanta rerum mutatio tam exiguo temporis spatio effici potuerit, nunc accuratius investigandum est. Arnulfo quidem Suatopluoum, quocum ex anno 885 in pace erat opitulatum esse, cujus auxilia sub illa „manu valida (Noricorum et) Sclavorum" intelligerentur, comes de Buenau [2]), Palackyus [3]) alii conjecerunt, a Gagernio [4]) satis refutati, Carantanos saepius Sclavos et Carinthiam Sclaviniam nominatam esse demonstrante. Quod Carantani duci suo domestico opem ferre parati erant, minime est mirandum, Bavari autem et ipsi Arnulfo, regis sui Carolomanni filio, qui idem interdum „rex Noricorum" [5]) vocatur, maxime inter omnes Germaniae gentes favisse videntur, cujus filiis nothis postea haud diu cunctati jus successionis concedebant [6]). Attamen, dum episcopos Bavariae omnes fere cum novo rege facere cernimus, qui ex iis praecipue consiliarios sibi elegit, inter comites hujus provinciae factionem quandam illi adversam fuisse, quae a. 880 Ludowicum juniorem adjuverat, posteriores docent seditiones ibi exortae. Fortasse Hildigardis quoque, filia Ludowici III, „cujus maxime molimine" Herimannus Augiensis Arnulfum

---

ut etiam ministri ab eo defecti, sub celeri festinatione ad Arnulfum regem se junxerint. —

1) Regino a. 887.

2) Bünau deutsche Kaiser- und Reichs-Historie IV, p. 99.

3) Gesch. v. Boehmen I, 143.

4) Gagern vita Arn. imp. p. 55 n. cf. Ann. Fuld. a. 877. Carlmannus cum manu valida Noricorum diversorumque Sclavorum Italiam ingreditur. —

5) Folcuini gesta abbat. Lobiensium c. 15. (Pertz SS. IV, 61) cfr. Arnold. de St. Emmerammo „Arnulfum — primo Bajoariae ducem" (Pertz SS. IV, 551). —

6) Ann. Fuld. a. 889.

regem factum fuisse dicit [1]), ei, ut Eckhartus opinatus est, ad gratiam illorum sibi conciliandam adjumento erat. Copiis igitur sibi deditis circumdatus et foedere cum Francorum proceribus, qui ab omnibus scriptoribus auctores defectionis fuisse feruntur [2]), clam inito fretus, dux Carinthinus in Franciam castra movit et tamquam legitimus regni heres, regio nomine assumpto, singulos optimates sibi quisque seniorem (Lehnsherr) eum eligentes apud se recepit, hac videlicet ratione, ut priores magnis beneficiis et privilegiis remuneraretur, posteriores, nisi quam celerrime ad se venirent, iis rebus, quas possiderent privare minaretur [3]). Id tamen dubitari nequit, quin ille non in contione totius populi electione sollemni, sicut quondam atavus ejus Pippinus, rex sit creatus, sed omnes propter ejus originem, ob communem Caroli contemptionem vel metum exercitus, quem secum duxit, ejus ut legitimi sui domini imperio se subjecerint. Quamobrem scriptotes aequales, quomodo ejus ascensum aptissime significent nescientes, verbis variant: „Franci australes — ejecto eo de regno — Arnulfum in regni solio ponunt“ [4]); „omnes optimates — ad se

---

1) Herimann a. 895.

2) Ann. Fuld. Pars IV et V. a. 887.

3) Ann. Fuld. Pars IV, 887 ad se venientes in suum suscepit dominium, venire nolentes beneficiis privavit. — Narrationem anonymi Weingartensis (ap. Hess. monum. Guelfica p. 7) de Heinrici comitis ex Guelforum familia oriundi deditione, quae et sub Carolo III et sub Arnulfo facta esse potest, Gfrörerus (Gesch. d. ost- u. westfränk. Karolinger T. II.) aliique perperam ad Arnulfi electionem retulerunt. Illo enim non regi denuo creato, sed imperatori „hominium et subjectionem fecit“, pro quibus 4000 mansos in superioribus Bavariae partibus sitos recepit, patre Ethichone id admodum dolente. — 4) Ann. Vedast. a. 887.

venientes in suum suscepit dominium" [1]); „invitaverunt Arnulfum, ipsumque ad seniorem elegerunt, sine mora statuerunt ad regem extolli" [2]); „Arnulfum ultro in regnum attrahunt, et subito facta conspiratione ab imperatore deficientes ad praedictum virum certatim transeunt" [3]); „reliquerunt eum et elegerunt Arnulfum in regem" [4]); „Karolus est de regno ejectus, atque Arnoldus electus" [5]). De die et loco, quo haec res gesta sit, non satis constat; cum autem post 8 Dec. et ante 11. ejusdem mensis illum regem factum fuisse ex duabis tabulis liqueat [6]), Boehmerus [7]), eum die dominico d. 10. m. Dec. rerum potitum esse opinatus est, atque id Forchheimii quidem accidisse, ubi sequenti die duas chartas obsignavit [8]). Quocum optime testimonium Asseri scriptoris rerum earum aequalis convenit, qui Carolum „VI antequam defunctus est hebdomada" i. e. mense Decembri ineunte regno expulsum esse tradit [9]). Interea Carolo imperatori, qui dum ab omnibus deseritur, Triburiam petens Francofurti moratus esse [10]) videtur, Liutbertus archicancellarius, cum novus rex ei „nihil nisi vilissimas ad serviendum personas" reliquisset [11]), victum quotidianum

---

1) Ann. Fuld. P. IV. 887. 2) Ann. Fuld. P. V. 887.

3) Regino, 887. 4) Ann. Hildesh. 887.

5) Ann. Weissembur. 887 (Pertz SS. III, 51).

6) Altera data est die 8. Dec. 889 „anno II regni" ap. Monum Boica XXXI, 1. p. 130 (Boehmer No. 1075); altera die 11. Dec. a. 887. (Boehmer No. 1025), quo igitur rex jam exstabat.

7) Boehmer p. 103.

8) Boehmer No. 1025, 1026. 9) l. l.

10) Ann. Fuld. P. V. 887. Igitur veniente Carolo imp. Franconofurt, isti invitaverunt Arnulfum". Reginonis, qui id Triburiae factum esse tradit, minor est auctoritas. —

11) Ann. Fuld. P. IV cfr. regum et imper. catalogi (Pertz SS. III, 215) Carolus imperator sanctus set in fine egenus. —

suppeditavit. Deinde ab Arnulfo, ad quem Bernhardum filium cum muneribus misit, nonnulla praedia Allamannica recepit, unde res ad vitae usum necessaria ei suppeterent [1]). Nec multo post die 13. m. Januarii a. 888 [2]) totius Francorum imperii ultimus dominus Nidingae (Neidingen) [3]) morbo oppressus obiit et in Augiensi monasterio sepultus est; quem testes haud locupletes strangulatum esse retulerunt [4]). Omnes autem scriptores eorum, quae aliquando contra patrem peccaverat, et quae populus, eo non prohibente, passus erat, immemores, tantum mitem et patientem animum admirati, quo repentinas calamitates tolerabat [5]), et cultus, quem Deo et ecclesiae tribuere solebat, recordati, quin pro amisso regno terreno in coelo in aeternum beate vivere ei concessum esset non dubitaverunt [6]). Allamanni vero „quibus maxime negotium sui regni habebat commissum" [7]) inviti et magna ex parte coacti novo regi se dediderunt; quod ex annalibus Allamannicis [8]) quoque elucet, ejus electionem his verbis tradentibus: „Arnulfus immanissimus rex elevatur".

1) Regino, 887.

2) Necrol. Aug. l. l., Calend. Merseb. l. l., Necrol. Prum. l. l., Necrol. Laureshamense ap. Schannat vindemiae litterariae collectio I, p. 23 sq. Ann. Fuld. P. V. a. 887. Regino, qui habet pridie Id. Jan. emendandus est. —

3) Herim. Aug. a. 888; Regino 888.

4) Herim. Aug. l. l., Ann. Vedast., 887 Carolus fertur — a suis strangulatus.

5) Regino, 888 hanc (probationem) ut ferunt, patientissime toleravit.

6) Regino l. l., Ann. Ved. 887; Ann. Fuld. P. V, 887.

7) Ann. Fuld. P. V. a. 887. 8) ap. Pertz SS. I, 52. —

Cap. II.

Arnulfus rex (887—896).

Arnulfus igitur, „disposito prout voluit regno“, diem natalem Domini a. 887 Ratisbonae celebravit, ibique usque in Februarium mensem a. 888 moratus, conventum generalem optimatium Bavariae, Allamanniae, Saxoniae, Franciae ad deliberandas cum iis res publicas habuit [1]). Neminem autem effugere potest, Caroli injusta expulsione et violenta nepotis ejus creatione, quamvis hic non jura regia sed beneficia tantum inter nobiles distribuerit, potentiam eorum jam summam altiorem gradum consequi oportuisse. Primo enim tunc in Germania proceres, exemplum, quod Franci occidentales saepius ediderant, imitati, fidem imperatori suo debitam impune violaverunt, et haud amplius regis sacrosanctam potestatem venerati, eum solummodo, summum seniorem eorum, qui et ipsi seniores erant, primum igitur inter pares esse ducere coeperunt. Summopere, si Caroli Magni tempora iisdem legibus usa, cum his conferamus, rei publicae faciem mutatam cernimus: omnia munera et comitum et marchionum hereditario jure a patribus ad filios transierunt; quod in Francia occidentali lege sancitum, in Germania quoque morem fuisse ex bello civili inter Aribonem et filios successorum ejus exorto cognoscimus. Numerus ingenuorum agricultorum, qui varias ob causas aut voluntarii aut inviti senioribus se dediderunt, necessario quodam rerum progressu valde erat

1) Ann. Fuld. a. 888.

deminutus, ita ut, universi populi heribanno magis magisque deficiente, rex a vassorum suorum auxilio prorsus penderet. Clerus, qui solus litteris imbutus eas posteritati tradidit, quamvis a nobilibus praediorum ejus cupidis multis malis afficeretur, ad majorem semper aspiravit potentiam, et regum largis donationibus possessiones augendo et multa ab iis privilegia, praecipue immunitatem, interdum quoque jura comitis in suis civitatibus impetrando. Monasteria vero, quorum multa vel episcopis vel aliis viris de rege bene meritis, ut reditum inde caperent, tradebantur, a priori opulentia ex magna parte in inopiam et morum corruptionem delabi coeperunt. Communis gloria illa nominis Francorum, cujus fama aliquando totam Europam personuerat [1]), regnorum divisionibus et bellis civilibus desierat, singularum gentium propriae provinciae amore denuo expergiscente et splendor imperii Caroli Magni quasi somnium ubique evanuerat. Rege igitur ab optimatibus creato, episcopi, qui conspirationis ipsius expertes rei ad finem perductae et quae mutari non potuit assensi esse videntur [2]), paullo post synodum Maguntiaci habuerunt, ut, rebus omnibus vacillantibus, decretis suis gravissimis regni malis mederentur et regem ipsum de eo monerent, quod a se

---

1) Mon. Sangall. gesta Car. M. II, 1. (Pertz SS. II, 748) In illo tempore propter excellentiam gloriosissimi Karoli, et Galli et Aquitani, Aedui et Hispani, Alamanni et Bajoarii non parum se insignitos gloriabantur, si vel nomine Francorum servorum censeri mererentur. cfr. Einhardi vita Karoli M. c. 16. Poeta Saxo L. V. v. 413. (Pertz SS. I, 274).

2) Liutbertus, archiep. Maguntiacensis, primas regni, Carolo favisse videtur. Ann. Fuld. P. IV, 887 cfr. Ranke deutsche Gesch. im Zeitalter der Reformation 3. Ausg. I, p. 14. —

expectaretur [1]). De tempore quidem, quo convenerint, nihil certi traditur: nonnulli autem opinati sunt, cum in eo Adalgarium archiepiscopum Hamburgensem praesentem viderent, cujus antecessor Rimbertus die 11 m. Junii e vita excessit [2]), post hunc diem concilium convocatum esse. Qua ratione res non prorsus dijudicari potest, quia Adalgarium, Rimberto etiamtunc vivo, successorem ejus designatum fuisse et omnibus officiis episcopalibus pro eo satisfecisse scimus [3]). — Affuerunt autem Maguntiaci archiepiscopi Fulco Rhemensis, Willibertus Agrippinensis, Thiadmarus Juvavensis, Ratbodo Trevirensis, Adalgarius Hamburgensis; episcopi Johannes Rotomagensis, Hildegrimus Halberstadensis, Arno Herbipolitanus, Liutwardus Vercellensis, Rotbertus Mettensis, Adalelmus Borbetomagensis, Godefridus Spirensis, Wicbertus Hildesheimensis, Dado Verodunensis, Dodilo Camaracensis, Honoratus Bellovacensis, Herdilo Noviomagensis, Baltramnus Argentoratensis, Waldo Frisingensis, Thiadulfus Curiensis. Ex quorum praeceptis, aliis testimoniis aequalibus collatis, quantopere tunc imperium labefactum et corruptum fuerit, optime perspiciemus. Primo enim patres, Normannorum atrocissimam invasionem, qua multa delubra et monasteria diruta aut ad nihilum redacta erant, in praefatione vehementer lamentati his verbis pergunt: „Sed his interea malis amaricati, et pene usque ad mortem afflicti, aliud e vicino malum nos coan-

1) Acta ejus integra exstant ap. Mansi collectio conciliorum, T. XVIII, p. 61 sqq.

2) Mansi l. l. p. 73. Adam. Bremensis I, c. 46, Necrolog. Fuldense a. 888. (Leibnitz scriptores rer. Brunsvicens., III, 762), Necrolog. Moellenbeckan. (Wiegand's westfälisches Archiv V, 343 sqq.) cf. dipl. ap. Lappenberg hamburg. Urkundsbuch I, 32.

3) Vita St. Rimberti c. 21 (Pertz SS. II, 774). —

gustat et opprimit, quod quanto vicinius, tanto gravius. — Ecce enim e latere turba raptorum et schismaticorum saevit, qui pauperes et humiles Christi opprimunt et interimunt, neque Dei respectum habentes, nec ullam hominis personam verentes. Ab his namque, si deesset paganorum saevitia, redigeretur in solitudinem terra: quia nec sexui, nec aetati neque paupertati parcere sciunt, sed omnes, quos possunt — despoliant et crudeles — aut igne aut gladio aut quocunque mortis genere interimunt, hocque nihil putant et parvipendunt". Simili modo concilium quoque Coloniae Agrippinae Kal. Apr. a. 887 habitum [1]) de iis hominibus conqueritur, „qui neque Deum prae oculis habent, neque ullius verentur occursum, neque divina humanave lege a malo coercentur, sed ad omne malum praecipites feruntur"; etiam synodus Mettensis [2]), quae primis Arnulfi annis congregata est, necessarium esse cognovit, ut statueretur „lex Dei, qua crudelissimi nostrae gentis homines a vastatione pauperum repellerentur". Dubitari autem nequit, quin alterius horum temporum summi mali, famis saepissime redeuntis, praeter prodigia, quae produxit natura, motus terrae, inundationes alia [3]), homines illi scelerati agros infestos reddentes praecipue causam sustinuerint; quod concilii Troslejani testimonio [4]) admodum confirmatur. Ibi enim de viris simili condicione usis sequentia dicuntur: „Nec considerant miseri et miserandi homines, quot millia hominum innocentium perimant quotidie,

1) ap. Mansi, XVIII p. 45 sqq.

2) Mansi XVIII p. 77 sqq.

3) Concil. Mett. can. II peccatis exigentibus clauditur coelum, et fit nostris diebus saepissime fames. —

4) can. VII ap. Mansi XVIII p. 283.

non gladio quod esset utique levius, sed durissima atque atrocissima famis morte". — Quoties gravissima inopia in altera saeculi IX parte dimidia miser Francorum populus affectus sit, ea de re clamant vel brevissimorum annalium auctores, ex quibus St. Columbae Senonensium scriptorem audire libet, ita sub anno 868 referentem [1]: „Extitit eo anno fames et mortalitas inaudita per totum fere imperium Francorum, — ita ut prae multitudine morientium non essent qui sepelirent. Nam Senonis civitate inventi sunt 1 die 56 homines mortui. Inventi sunt etiam ea tempestate in eodem pago masculi et femine pro nefas! homines alios occidisse et comedisse. Nam in Ponto Siriaco quidam onestam feminam ospitio susceptam occidit, membratimque dividens sale condivit, et sibi suisque filiis comedendum coxit. In ipsa urbe quedam femina de quodam adolescentulo similiter fecit. In pluribus etiam locis aliis hoc ipsum ob famis penuriam contigisse fama vulgante, compertum est". Etiam Arnulfi temporibus pestilentia et fame tristissima, quibus, si annalibus Fuldensibus [2]) fides adjicienda esset, a. 874 „pene tercia pars humani generis consumpta" fuerat, gentes etiam atque etiam laboravisse, multi nos certiores faciunt testes, his quidem annis ejusmodi calamitates assignantes: 880, 881, 882, 883, 886, 889 [3]), 890 [4]), 893, 895 „ita ut per plurima loca inedia consumerentur" [5]), 896 („christiani homines alterius car-

1) Pertz SS. I. p. 103. cfr. Ann. Fuld. a. 850.
2) Ann. Fuld. a. 874.
3) Ann. Fuld., 880 — 889 cfr. Richer. Historiar. L. I. c. 5.
4) Ann. Alam., 890.
5) Ann. Fuld., 893, 895, Ann. Alam., 895 cfr. Ann. Ved., 892.

nem comederunt"!) [1]), 897 „ita ut multi inedia consumerentur" [2]). Quantam vim haec universa egestas et miseria, in quibus maxime plebeji homines versabantur, ad viros ingenuos, qui sui juris agros colebant (Gemeinfreien) imminuendos et ad nobilium potentiam augendam habuerit, nusquam satis explicatum reperi. Episcopi igitur, qui Maguntiaci convenerant, ad unam saltem earum calamitatum causam remedium allaturi vel potius se ipsos suasque possessiones tuituri, contra eos, qui latrocinari aliasque res nefandas committere solebant, diversis canonibus poenas promulgaverunt, edicentes: ut, qui ecclesiarum vel coenobiorum facultates ad largitionem delegatas, furatus sit „tanquam necator pauperum — de ecclesiae liminibus excludatur" (can. VI); „si quis clerico aliquam injuriam seu calumniam ingesserit, a liminibus st. ecclesiae arceatur usque ad condignam satisfactionem" (can. VII); si quis „praedia usibus secretorum coelestium dicata" invaserit „perpetua damnetur infamia et infernali carceri tradatur" (can. XI); „si quis sacerdotem morti voluntarie tradiderit, carnem non comedat nec vinum bibere praesumat omnibus diebus vitae suae" etc. (can. XVI); „ut decima omnino Deo dari non negligatur" (c. XVII); ut monasteriis „quae clericis seu laicis beneficii jure donata" sint, tales praeficiantur „provisores — qui commissam sibi gregem canonice et cum magna religione custodiant" (c. XXV). Praecipue etiam comites adhortati sunt, ut cum episcopis concordarent, ne sibi „ad dei servitium peragendum et ministerium suum explendum" nocerent, quin potius adminiculo essent (c. XXIV). Concilium tamen non fugit,

1) Ann. Aug., 896 (Pertz SS. I, 68).
2) Ann. Fuld., 897. —

non solum laicos, legibus contemptis, multa nefaria perpetrare facinora, verum etiam clericorum ordinem variis et magnis maculis esse aspersum, ejusque disciplina restituatur inprimis oportere. Quae res sequentibus agebatur edictis: „Quicumque presbyter per pretium ecclesiam fuerit adeptus, omnimodis deponatur". („Quod vitium late diffusum, summo studio emendandum est"!) (c. V); „ut clericis interdicatur, mulieres in domo sua habere"; adquod praeceptum hanc rationem memoratu dignam patres subjiciunt: „saepe audivimus, — plurima scelera esse commissa, ita ut quidam sacerdotum cum propriis sororibus concumbentes filios ex eis generassent" (c. X). Adde quod concilium quoque Mettense sacerdotibus aliquam feminam seu matrem seu sororem secum habere vetavit, ut „auferentes omnem occasionem satanae, angelicam vitam ducerent". In eodem clericis interdictum est, ne armati incederent, vel vestimenta laica induerent, „i. e. cottos vel mantellos sine cappa", „quia et grandis levitas erat, et gravitas vel religio clericalis nimis in talibus vilis efficiebatur". Porro pontifices Maguntiaci congregati sanxerunt edicto, ne presbyter adversus episcopum, diaconus in presbyterum, subdiaconus in diaconum, acolythus in subdiaconum, exorcista in acolythum, lector in exorcistam, ostiarius in lectorem accusationem aliquam adornaret (can. XII); renovarunt etiam legem, qua, quominus sacerdotes uxores ducerent, impediebatur (c. XIX). Priusquam episcopi haec decernerent, animum regis, sine cujus adjumento omnia vana essent, necesse erat, ad suam perducere sententiam tentaverunt, eum exhortati, ut prae omnibus justitiam diligeret coleretque, qua si careret, „non rex sed tyrannus" esset vocandus. Eun-

dem admonuerunt, ut imprimis St. matris ecclesiae „paci atque tranquillitati per universum mundum prodesse faceret suum principatum.“ „Magis enim, dixerunt, christianum regitur ac propagatur imperium, dum ecclesiae statui per omnem terram consulitur quam cum in parte quacumque terrarum pro temporali securitate pugnatur.“ Sed ne a privata quidem Arnulfi vita, qui complures concubinas in usu habere solebat, corrigenda abstinentes ab eo rogaverunt „ut semetipsum suamque domum — ab operibus nequam emacularet, bonisque operibus exuberare faceret,“ his quoque deuteronomii verbis ad eum relatis „Non habebit uxores plurimas, quae alliciant animam ejus neque auri et argenti immensa pondera.“ Caeterum multos clericos magnas in Arnulfo collocavisse spes ex poeta Saxone [1]) cognoscimus, qui regno ejus ineunte res a Carolo Magno gesta canens, St. Arnulfum, Carolorum atavum his verbis adit „Prae cunctis igitur tibi cura nepotibus una, Quaesumus, Arnulfus sit tuus omonimus. Fac ut regnanti Christus sit praevius auctor, Quo nimis ipsius indiget aecclesia. Qui modo justificus rex est, defensor et unus, Inter tot clades, quibus nunc atteritur.“ —

Dum rex festis paschae diebus Ratisbonae celebratis, usque in Majum mensem in regionibus orientalibus moratur [2]), magni per totum Francorum imperium fuerunt motus, quibus condicio ejus prorsus mutata est. Caroli exactionem autem non causam eorum fuisse, sed modo signum quasi dedisse ad id aperte exsequendum, quod multi mortales jamdudum secreto egerant, ex Erchanberti continuatore plane perspici-

1) Lib. V. v. 135 (Pertz SS. I, 269).
2) Ann. Fuld. 888, Boehmer, 1027 — 1037.

mus, a quo accusantur „tyranni vel potius latrunculi, qui adhuc vivente serenissimo imperatore Carolo et fratre ejusdem Ludovico rege (a. 881) licet latitando caput levare praesumant." De ejusmodi hominibus panegyristes Berengarii [1]) post Caroli mortem haec facit verba „Miseranda cupido Sed populos persuasit agens, qui limite lato Unius imperio soliti concurrere plures Ut mirentur abhinc diversa per arva tyrannos, Et sibi quaeque legat proprium gens, omnibus idem Dum perstaret amor." Similiter Regino s. a. 888 de iis loquitur: „Post cujus (Caroli) mortem regna, que ejus ditioni paruerant, veluti legitimo destituta haerede, in partes a sua compage resolvuntur, et jam non naturalem dominum praestolantur, sed unumquodque de suis visceribus regem sibi creari disponit." Quae verba multi sic interpretati sunt, ut singulas nationes, quae a Pipino et Carolo armis subactae eorum obtemperassent successoribus, tunc, vinculis universi imperii solutis, suae quamque naturae ac varietatis gnaram et consciam, proprios sibi elegisse dominos existimarent, eaque divisione eos exortos esse populos, qui usque in hodiernum diem in Europa distinguuntur. Hoc primo concedendum est, communis patriae Francicae amorem [2]), qui omnes aliquando amplectebatur gentes, simul cum gloria Francici nominis ex filiorum Ludovici Pii discordiis et bellis magis magisque desiisse, sed non tam, quia Germani, Itali, Francogalli proprias se esse nationes plane scirent et sentirent, quam

1) L. I, v. 13 sqq. —

2) Mon. Sangall. gesta Kar. M. II, 1. cfr. Flori Diaconi Lugdunens. querela de divisione imperii. (Bouquet VII, 301). Quos omnes dudum tenuit concordia nexos, Foedere nunc rupto divortia moesta fatigant." —

quod singulae harum nationum gentes vel regiones invicem a reliquis separari optarent. Quibus populi desideriis usi complures viri [1]) partim summa potentia praediti, partim imaginum splendore ac rebus ab ipsis egregie gestis insignes post Carolum expulsum alii in aliis provinciis proprium sibi constituere regnum ausi sunt. At in Germania quidem, cujus optimatibus omnibus Arnulfus origine sua multo praestabat, iisdemque fortasse etiam bonis artibus superior erat, gentes Bavarorum, Alamannorum, Francorum, Saxonum saeculo X. demum ineunte sub infantis regimine a suo quaeque coeperunt regi duce. Caeterae autem terrae, quarum incolae lingua Romana rustica utebantur, quoniam omnes eae causae, quae imperium Carolorum labefecerunt, ibi et priores et majores occurrissent, jam tunc in similem pervenerunt condicionem. Nec mirari licet, quod macula, quam Carolomanni filius ortu non legitimo atque ascensu turbulento conceperat, opportunam iis deficiendi ansam praebuit, cum jam a. 879 Boso regnum Arelatense sibi arripuisset, filios Ludovici Balbi ex uxore legitima sublatos [2]) „pro nihilo ducens, et velut degeneres despiciens, eo quod jussu Caroli eorum genitrix spreta atque repudiata fuerit.“ Caeterum Wenckius [3]) recte sine dubio judicavit, id Arnulfo praecipue crimini esse dandum, quod Franciae orientalis imperium adeptus, reliquas regiones, quae patruo obtemperaverant, per quinque menses prorsus neglexit, ac dum ubivis gravissimi urgent hostes et exteri et domestici Ratisbonae socorditer fruebatur otio [4]). —

1) Reg. a. 888. cfr. Wenck die Erhebung Arnulfs p. 32 — 37.

2) Reg. a. 879. 3) l. l. p. 30 — 32.

4) Ann. Fuld. 888 „Illo diu morante, multi reguli in Europa, vel regno Caroli, sui patruelis, excrevere.“

Rex tandem de motibus illis certior factus ex Bavaria Francofurtum profectus èst ac mense Junio contionem ibi habuit generalem [1]), indeque fortasse expeditionis bellicae contra Francos occidentales suscipiendae gratia „disposuit adventare" Borbetomagum. Gallia enim, quanta ex pacto Verodunensi Carolo Crasso erat tradita, tunc in quinque vel sex diducebatur partes: Neustriam cum Austrasia, quae nequaquam prorsus coaluerant [2]), Britanniam, Aquitaniam, utramque Burgundiam. Quarum Britannia jam ex primis Caroli Calvi temporibus, nullo cum caeteris constricta vinculo, a propriis gubernabatur regulis, tum ab Judicheilo et Alano de imperio decertantibus [3]). Aquitania, quae diuturnis bellis subjecta semper invita externo regi parebat, a Ramnulfo [4]) viro magnis opibus praedito regebatur, qui, quamvis a. 889 regi Francorum obedientiam simularet [5]), usque ad mortem tamen principatum obtinuit [6]). In Neustria autem novorum quoddam hominum genus non patrum nobilitate, sed ipsorum fortitudine ad dignitatum gradus ascendentium, summum sibi paravit imperium, quod ad nostra usque tempora tenuit. Cujus atavus Witichinus, ex Saxonia in Neustriam laribus translatis [7]), filium,

---

1) Diplomata Francofurti data exstant a die 8. Junii mens. (ap. Lacomblet Urkundenbuch des Niederrheins I, 41) usque ad diem 3. Julii m. (Boehmer 1039 — 1044). —

2) Wenck l. l. p. 38 adn. 42. 3) Regino a. 890.

4) Ann. Fuld. 888 „Rannolfus se regem haberi statuit." Chron. Richardi Pictav. (Bouquet IX, 21) cfr. de eo Wenck l. l. p. 57. —

5) Ann. Vedast. 889 „juravit illi, quae digna fuerunt."

6) Gozbertus et Ebulo fratres ei successerunt. Reg. 892, Ann. Ved. 892.

7) Richeri Historiar. L. I, c. 5. Aimoinus Floriacens de re-

cui Roberto nomen inditum erat, tam exiguae rei familiaris reliquit, ut a scriptore posteriori „uno tantum servulo comite contentus" ad regem venisse diceretur [1]). Ab eo tamen a. 861 marcam Andecavensem inter Ligerim et Sequanam fluvios constitutam [2]) adversus Normannos et Britannos defendendam, a. 865 comitatus Autissiodurensem (Auxerre) et Nevirnensem (Nevers) [3]), a. 866 abbatiam St. Martini Turonensem [4]) recepit et summam apud Carolum Calvum iniit gratiam [5]). Cui cum in proelio contra Normannos fortiter dimicans a. 867 occideretur [6]), laude ejus dignum scripsit auctor Fuldensis elogium: „alter quodammodo nostris temporibus Machabaeus, cujus proelia, quae cum Brittonibus et Nordmannis gessit, si per omnia scripta fuissent, Machabaei gestis aequiparari possent." Cujus uxorem, Adelaidem viduam Conradi fratris Judithae imperatricis fuisse Zapfius [7]) aliique opinati sunt, quorum conjecturas nuperrime Wenckius [8]) luculenter confutavit. Cum Roberti Fortis duo filii Odo et Robertus eo moriente etiamtum parvuli essent, patris honores non ad eos verum ad Hugonem

---

gibus Francor. (Pertz SS. IX, 374) „Rotbertus — Saxonici generis vir."

1) Widukind. res gestae Saxonicae I, 29. Sine dubio Robertum cum filio ejus Odone confundit. —

2) Reg. 861. Hincmar. 865.

3) Hincmar. 865. 4) ib. a. 866.

5) Adonis continuat. I. (Pertz SS. II, 324) „Robertus atque Ramnulfus viri mirae potentiae armisque strenui et inter primos ipsi priores. —

6) Hincm. 866, Ann. Fuld. 867, Reg. 867, Ann. Xant. 867 (Pertz SS. II, 232), Adon. cont. I. l. l.

7) Histoire de l'academ. des inscripts. T. XXXVI. p. 151.

8) l. l. p. 87 — 93.

abbatem transierunt [1]). Postea tamen Odo post mortem, ut videtur, Conradi comitis, ex progenie Conradi illius et Adelaidis a. 882 comes Parisiorum a rege factus [2]), ab hac urbe tam strenue Normannos eam obsidentes arcuit, ut a. 886 Hugone decedente [3]), a Carolo Crasso marcam patris sui recipere dignaretur [4]), dum fratri abbatia St. Martini obtingit [5]). Hic igitur viri fortissimi et ipse filius fortissimus „cui prae caeteris formae pulchritudo et proceritas corporis et virium sapientiaeque magnitudo inerat“ [6]), post Carolum exactum primis Januarii mensis diebus [7]) a. 888, Arnulfo Ratisbonae commorante atque „instante immanissima Normannorum persecutione“ [8]), rex Franciae occidentalis creatus est [9]). Rationem autem, qua ille principatum adeptus sit, ab ea, qua Arnulfus ascendit valde disjunctam fuisse, variis constat causis. Ac primo quidem Francis occidentalibus tunc jam persuasum fuit, jus sibi esse eligendorum regum quod semel Carolum Crassum accersientes, Carolo simplici praeter-

1) Reg. 867, Hincm. 866.

2) Conr. 882. Chron. St. Columbae Senon., 882 (Pertz SS. I, 103). Reg. a. 887 „Odoni, qui ea tempestate comes Parisiorum erat.“

3) Ann. Ved. 886, Ann. Fuld. Pars IV. a. 886.

4) Ann. Ved. 886, Reg. 887.

5) Dipl. ap. Bouquet IX, 496. (Boehmer, 1921).

6) Reg. 888.

7) Prima ejus tabula data est die 10. Jan. mens. a. 888 (Bouquet IX, 440), quacum ea convenit, quae die 30. Jan. 890 „a III regnante Odone scripta est (l. l. p. 450, Boehmer 1883). Eum die 30. Dec. m. a. 887 nondum regem fuisse, docet alia charta hoc die a. 889 a. II. Odonis data. (l. l. Boehmer 1882). —

8) Flodoard. Hist. Rhem. IV, 5.

9) Ann. Fuld. 888, Reg. 888, Ann. Ved. 888, Ann. St. Germani Parisiens. 888 (Pertz SS. III, 167).

misso, iterum nunc virum stirpi regali ne consanguineum vel affinem quidem coronantes exercuerunt. Deinde Arnulfum, qui jure quodam regni heres erat, maxime optimates non tam creaverunt quam confirmarerunt, Odonem novum hominem imprimis episcopi sanctione sua jus, quo deficiebatur, supplentes, in solium provexerunt A Gualtherio enim archiepiscopo Senonensi in Compendio palatio unctus [1]), magna clero fecit promissa [2]), se ecclesias „contra depraedatores et oppressores" defensurum, jura ac privilegia integra tuiturum, possessiones earum quam maxime amplificaturum esse. Similia quidem patres Maguntiaci congregati ab Arnulfo expostularunt, sed non ante verum post ejus electionem, non flagitando sed orando, nec num jam tum desideriis eorum assensum praebuerit, scimus, quibus postea demum a. 895 in concilio Triburiensi morem se gesturum esse spopondit. Neque Odoni toto populo acclamante, sed modo a factione quadam diadema impositum esse, quae tum in alia Galliae parte acciderunt, satis probant. Nam eodem fere tempore, quo ille rex factus est, Wido, filius Widonis senioris [3]), e Francorum genere oriundus [4]) et cum Carolorum stirpe nescio quo modo

1) Ann. Ved. 888.

2) Odonis regis electio (Pertz Legg. I, 554). —

3) Erchempert. Hist. Langobard. 39, 58, Leo Ostiens. Chron. Casin. I, 61, Flodoard. Hist. Rhem. IV, 5 Fulco scribit Lamberto Widonis filio: „Recordamini quaeso avunculi vestri et aequivoci Lamberti." Errant ann. Fuld. et Reg., qui patrem Widonis junioris Lambertum fuisse existimarunt. —

4) Chron. St. Benedicti (Pertz SS. IV, 203), Erchempert. c. 17, Widonem ejusque cives Francos vocant. Liud. Antap. I, 17. Epist. Johann. VIII, No. 133 (Mansi XVII p. 100). „Francos Lamberti." Paneg. Bereng. L. I, v. 115, 139, 229, 267; L. II. v. 13, 150, 161, 192, 204, 210; L. III. v. 10, 20, 38, 59, 128, 150, 210.

consanguinitate conjunctus [1]), qui post mortem Lamberti patrui sui ejusque filii utrique ducatui Spoletino praeerat [2]), Lingonibus (Langres) ab ejusdem civitatis episcopo Geilone diademate exornatus est [3]). Cum vero Odonem et in Burgundia, quam et ipsam petiverat, Rudolfum pariter creatos esse acciperet, omni spe abjecta in patriam rediit. Factio ei favens vel Odoni adversans, quamquam plerique partim blanditiis partim timore moti ei fidem dederant [4]), contra ejus dominatum machinari non desiit ejusque principes Fulco archiepiscopus Rhemensis, Widonis consanguineus [5]), „vir admirabilis per omnia“ [6]) sed summa ambitione ductus, Rudolfus abbas St. Vedasti et St. Bertini, Balduinus comes Flandrensis, filius Balduini et Judithae Caroli Calvi filiae [7]) ad Arnulfum profecti [8]), eum, ut Franciam occidentalem sibi vindicaret, persuadere studuerunt. Quos rex vota et preces eorum repudians „sine ullo consilio vel consolatione“ dimisit [9]). Leibnitius [10]) ad contionem generalem Francofurti ce-

---

1) Flodoard Hist. Rhem. IV, 5. Fulco rogat Widonem, ut erga Carolum Simpl. „talis existat, qualem eum erga propinquum existere decet.“ Chron. Salernitan. c. 153. (Pertz SS. IV, 547). Ida, uxor Guaimarii principis Salernitani ex Widonis genere orta ibi dixisse fertur „Ego sum ex regali stegmate orta.“ cfr. Wenck l. l. p. 92 — 98. —

2) Erchempert. c. 79. cfr. Ep. Johann. VIII, 293. (Mansi XVII, 214), in qua uterque Wido vocatur. Fatteschi duchi di Spoleto p. 75.

3) Ann. Ved. 888; Erchemp. c. 79, Liud. I, 15 — 16.

4) Ann. Ved. 888. 5) Flodoard. Hist. Rhem. IV, 1, 3.

6) Ann. Ved. 883. 7) Bouquet IX, 318.

8) Ann. Ved. 888. Epist. Fulconis Arnulfo inscripta. Flod. Hist. Rhem. IV, 5. 9) Verba Fulconis ipsius.

10) Annal. imperii occidentis II, 102.

lebratam eos venisse suspicatus est, quia in concilio Maguntiacensi, quod eodem tempore convocatum esse putat, complures affuerunt Galliae episcopi Rhemensis, Rotomagensis, Camaracensis, Noviomagensis Bellovacensis, quem postea cum Carolo Simplici facientem cernimus [1]). Cum qua conjectura nescio an Fulconis verba pugnent [2]), quae tempus praecedens significare videntur „quod decedente Carolo imperatore, in ipsius Arnulfi servitium fuerit profectus." Odo, qui interim Normannos super Axonam fluvium summa cum gloria devicerat [3]), ab Arnulfo ad colloquium venire jussus, Theoderico comite [4]) sibi fidissimo praemisso ad pacis condiciones componendas, die condicto cum Balduino sibi reconciliato et fortium militum manu, Borbetomagum profectus est, aut inter diem 3. Julii et 1. Aug. aut inter 1. et 23. Augusti mensis [5]). Quo cum ille pervenisset, rex principatum in sua potestate superiori habendum ei concessit et pro iis, qui ipsum antea advocare voluerant, veniam petivit [6]). Ratio quidem, qua Odo Arnulfo se subjecerit, a scriptoribus non plane explicatur, ego tamen existi-

1) „Fidelis" ab eo vocatur in charta quadam ap. Bouquet. IX, 469 (Boehmer 1897). — 2) Flodoard. l. l.

3) Ann. Ved. 888, Abbo de bellis Parisiacis L. II, v. 491 sqq. (Pertz SS II, 799). Proelium commissum est ad Montfaucon.

4) cfr. de eo Hincmar. a. 879; Ann. Vedast., 884. Lebeuf. suspicatur, eum comitem Augustodunensem fuisse (Mémoir. de l'académ. des inscript. T. XXIV p. 716).

5) Nulla extat tabula Borbetomagi data. Usque ad diem 3. Jul. m. Arnulfus Francofurti moratus est (Boehmer. No. 1044); die 1. Aug. Triburiae (Dümgé regesta Badensia p. 79), die 23. Aug in curte regia Gerenesheim (Boehmer No. 1046). —

6) Ann. Ved. 888. Regino (a. 888) non recte dicit, Odonem „cum consensu Arnolfi" electum esse.

maverim, eum non vassum sed potius sensu ampliori „fidelem“ ei factum fuisse, ita ut ille, cui nihil obligatus erat, ob majorem suam auctoritatem, regni Franciae occidentalis adipiscendi ei auctor fieret. Ac dum a Fulcone quidem „homo“ (Vasall) Arnulfi appellatur [1]) ex annalibus Vedastinis amicitiam cum eo junxit; ab Assero „fidelitatem et obedientiam“ ei promisisse refertur, in annalibus Fuldensibus [2]), maluisse „suum regnum gratia cum regis pacifice habere, quam ulla jactancia contra ejus fidelitatem superbire.“ Scriptor Vedastinus [3]) nos etiam certiores facit, illi postea Rhemis in ecclesia Dei genitricis coronam ab Arnulfo missam die St. Briccii (13. Nov.) impositam esse, pariterque oblivionem omnium, quae in se admissa erant, delictorum proclamavisse. Hoc igitur modo rex Galliam sibi oblatam, memor fortasse antecessorum suorum, qui similiter a factionibus ad eam occupandam invitati clades tantum acceperant, alii homini administrandam tradidit eoque Francogalli et Germani nunquam rursus unius imperio obtemperaturi separati sunt. Neque etiam ulla causa fuisse videtur, cur Arnulfus Odoni regnum invideret, cum omnia ea mala, quibus res Franciae orientalis, antea tam florescentes paulatim delabebantur, in occidentali jam summam terrae calamitatem attulissent: regum infirmitas, barbarorum invasiones, bella civilia, nobilium effrenata libido et superbia aliaque multa. Quam tristis et quae describi vix possit, Galliae tum condicio fuerit, optime ex concilio Troslejano a. 909 habito perspicimus [4]).

---

1) Flodoard. Hist. Rhem. IV, 5.
2) Ann. Fuld., 888. 3) Ann. Vedast., 888.
4) Acta ejus ap. Mansi XVIII p. 263. sqq.

At hujus miseriae causas non solum clades ab hostibus aut intestinis aut externis illatas, verum etiam populi ipsius morum corruptionem fuisse ab Abbone, poeta patriae amantissimo discimus, qui eam ita alloquitur [1]: „Francia cur latitas vires, narra, peto, priscas, Te majora triumphasti quibus atque jugasti Regna tibi? Propter vitium triplexque piaclum. Quippe supercilium, Veneris quoque feda venustas, Ac vestis preciosae elatio te tibi tollunt! Afrodite adeo saltem quo arcere parentes Haud valeas lecto, monachas domino neque sacras; Vel quid naturam, si quidem tibi sat mulieres, Despicis, occurrant? Agitamus fasque nefasque. Aurea sublimem mordet tibi fibula vestem, Efficis et calidam tyria carnem preciosa. Non praeter clamidem auratam cupis indusiari Tegmine, decusata tuos gemmis nisi zona Nulla fovet lumbos, aurique pedes nisi virgae; Non habitus humilis, non te valet abdere vestis. Haec facis; haec aliae faciunt gentes ita nullae — — — fuge, Francia, ab istis!"

Rebus Gallicis hoc modo compositis, alius regulus, qui ex Carolorum imperio nonnullas terras arripuerat, Arnulfi in se animum convertit; ad cujus nunc transeamus originem. Juditha imperatrix, filia Guelfi comitis [2], Caroli Calvi mater duos habuit fratres Conradum et Rudolfum [3], qui quamvis aliquamdiu in monasteria pulsi essent, in summa tamen plerumque nepotis gratia erant [4]; quorum ille ut videtur comes

---

1) Pertz SS. II, p. 801. Lib. II, 596 sqq.

2) Einhardi ann., 819 Thegani vita Hudowici c. 28 (Pertz SS. II, 596); Anonym. Weingartensis ap. Hess. monum. Guelfica p. 6.

3) Vita Hudowici imp. c. 46. (Pertz SS. II, 634); Ann. Bertin. a. 830.

4) Hericus de miraculis St. Germani Autissiodor. II, 2. (ap.

Parisiensis et Autissiodurensis et abbas St. Germani Autissiodurensis [1]) cum Adelaide, sorore Ermengardae, uxoris Lotharii I, ex nobilissimo genere orta [2]), Hugonem et Conradum genuit. Nonnulli, verba Hincmari, qui Hugonem illum filium materterae Lotharii vocat, non recte interpretati, Adelaidem filiam Ludowici Pii et Judithae fuisse existimaverunt; quae opinio genealogiis comitum Flandriae [3]) affatim redarguitur, qui imperatorem ex Juditha solum Carolum et Giselam sustulisse nos edocent Hugo in tanta apud regem erat potentia, ut quinque saltem abbatiis praefectus etiam comitatum Turonicum et marcam Andecavensem gubernaret [4]), Conradus vero, quem ante annum 877 obiisse Wenckius demonstravit [5]), patrem in comitatu Autissiodurensi et Parisiensi subsecutus, postea ob studium Lotharii remotus est [6]) et post Hucberti, quem anno 866 occidit [7]), damnationem marcam seu duca-

---

Labbé nova bibliotheca manuscriptor. I, 556) Chonradus princeps famosissimus, collega regum, et inter primates aulicos apprime inclytus.

1) cfr. histoire de l'académie des inscriptions, Tom. 36. p. 147, 149.

2) Henricus l. l. „Hincmar. a. 864 „episcopatum a Gunthario Lotharius (II) tulit, et suo tantum consilio Hugoni, Conradi, Caroli regis avunculi, et materterae suae filio donavit". Mater Lotharii II Ermengarda, filia fuit Hugonis comitis Einhardi ann. a. 821, Theganus c. 28. l. l.

3) Pertz SS. IX, 303 cfr. Wenck die Erhebung Arnulfs p. 83—86, ubi fuse de his rebus disseritur.

4) histoire de l'acad. des inscr. T. 36. p. 152.

5) Wenck, hessische Landesgesch. II, 576—579 testimonio Herici nititur, qui (l. l. II, 5. p. 558) ante annum 877 de liberis Conradi I, quasi de mortuis loquitur. —

6) hist. de l'acad. des inscr. T. 36. p. 153.

7) Ann. Xant., 866 (Pertz SS. II, 231); Reg. 866., Fulcuini

tum inter Jurum et montem Jovis situm accepit. Procreavit autem ex Valdrada [1]) conjuge tres filios Guelfonem abbatem St. Columbae Senonensis [2]), Conradum comitem Parisiensem [3]), qui utrique a. 882 sine liberis e vita excesserunt, Rudolfum, quem praeter marchionis dignitatem abbatem quoque St. Mauricii Agaunensis exstitisse et in Italia possessiones habuisse chartae testantur [4]). Hic igitur, summa potestate in tali terra praeditus, qualem natura ipsa undique munierat et difficillimam accessu fecerat, anno 888 ineunte ante diem 28. m. Januarii [5]), harum regionum primoribus et episcopis Agauni convocatis, corona sibi imposita regem se appellari jussit [6]). Quam dignitatem cum ad altiora et non concessa tendens primum gradum ei regni Lotharii II avunculi sui renovandi fore speraret, legatis per totam Lotharingiam emissis magnis pollicitationibus gratiam optimatium et sacerdotum, qui hucusque Arnulfo se minime subjecerant, sibi conciliavit, ac dein Tulli in eorum conventu ab Arnoldo episcopo Tullensi rex est consecratus [7]). Contra quem

---

gesta abbat. Lobiens. c. 12. (Pertz SS. IV, 60). Ab hoc Conr. „Raeticarum vel Jurensium partium dux“ nominatur. Andr. Bergom. c. 13. (Pertz SS. III, 235.)

1) cfr. Dipl. ap. Bouquet VIII, 589 (Boehmer No. 1717).

2) Ann. St. Columbae Senon. a. 882 (Pertz I, 103). —

3) Plerique scriptores hunc cum Conrado II, patre ejus confuderunt, quem a. demum 882 obisse putabant; quam opinionem Wenckius l. s. l. satis refutavit. Hincmar. a. 879 „Chuonradum, Parisiaci comitem“. —

4) Zapf monum. anecdota, I, 20; Scheidius origines Guelficae II Probat. p. 101 „Rudolfus humilis comes, necnon et monasterii S. Mauricii Agaunensis abba“. —

5) Die 28. Jan. a. 895 VIII regni annum numeravit ex charta quadam ap. Zapf monum. anecdot. I, 30 (Boehmer No. 1185.).

6) Reg. 888. 7) Ann. Vedast. 888.

Arnulfus, pace cum Odone facta, celeriter in Alsatiam profectus [1]), hanc regionem et sine dubio Lotharingiam quoque in suam redegit ditionem et plura bona et abbatias St. Apri et St. Germani Arnoldo episcopo ablata, qui „temerario ausu" „alterius se miscuit societate", fisco adjudicavit [2]). — Rudolfus autem, cum rex Franciae ipse in Bavariam regrediens, Alamannicum contra eum misisset exercitum, cum Alamannorum principibus de pacis condicionibus tractans, eorum consultu, mense c. Oct. vel Novembri ultro Arnulfum Ratisbonae adiit, et fidelitate ei promissa in suam reversus est patriam [3]). Burgundia superior seu transjurana, cui imperabat, tractum Helvetiae occidentalem et partes nonnullas regni Arelatensis amplectebatur [4]). —

Quo feliciter peracto major jam cura Italiae civili bello laceratae regis animum occupavit. Ibi enim tunc familia quaedam Francica, cujus praedia per diversas imperii regiones erant dispersa, ad rem publicam gerendam accesserat, orianda quidem ab Eberhardo summo Lotharii consiliario et marchione Forojuliensi [5])

1) Ann. Fuld. 888.

2) Charta ap. Bouquet IX, 366 (Boehmer No. 1101).

3) Ann. Fuld. 888.

4) Basilea urbs imperio Francorum semper subjecta erat cfr. Ann. Alamann. a. 912 (Pertz SS. I, 55). —

5) Cfr. de patre Eberhardi a scriptoribus non commemorato Wenck die Erhebung Arnulfs p. 68. adn. 113. Testamentum Eberhardi exstat ap. Dachery spicilegium II, 876. Pertzius (SS. IV, 189 adn. 4) eum a. 868 mortuum esse, credidit, quem Wenckius (l. l. p. 70. n. 115) hoc annalium Xantensium loco refellit: „a. 868 Liudolfus comes a septentrione et in Italia Ewerwinus, gener Ludowici regis, magnifici viri, de hac luce subtracti sunt". Nominatur quoque in conventu Confluentensi a. 860 habito (Pertz Legg. I, 468) cfr. Flodoard. Hist Rhem. III, 28, Andreas Bergomas

ac conjuge Giselae filiae Ludovici Pii et Judithae [1]. Cui a. 866 vitam ponenti Unruochus filius [2]) natu maximus, qui fundos patris in Langobardia et Alamannia sitos testamento acceperat in marca successit, eumque paucis annis post vita excedentem Berengarius frater [3]), possessionum complurium Ripuaricarum heres subsecutus est, qui a. 875 primo in hoc Italiae tractu occurrit [4]). Pertzius quidem [5]), id a. 887 demum accidisse putavit, quia 886 Unruochi etiamtum fieret mentio, sed haec eo modo fit, ut incertum maneat, utrum vivi an mortui. Berengarius igitur quamvis a. 887 coram Carolo Crasso humiliter Liutwardi ab eo offensi veniam exposceret, praevidit certe et fortasse adjuvit, ea, quae futura erant, indeque in Italiam reversus paullo post imperatoris expulsionem ante ejus mortem, primis, ut Koepkio tabulis comparatis videbatur [6]),

c. 13. (Pertz SS. III, 235), epist. Johannis VIII papae, 85 (Mansi XVII, 73.).

1) Genealog. comit. Flandriae (Pertz SS. IX, 303); Agnelli liber pontificalis (Muratori SS. rerum Ital. II, 1, 185); Charta Giselae ap. Dachery II, 879. —

2) And. Bergom. c. 13. —

3) Berengarius vocatur filius Eberhardi: Hincmar. 876, Ann. Fuld. 888, Reg. 888, Leo Ostiensis I, 61. — Anno 871 Unruochus etiamtum superstes erat cfr. Andr. Bergom. c. 15. (l. l. p. 237). —

4) Andr. Berg. c. 18 (l. l. p. 238) cfr. Lupi cod. diplom. Bergom. I, 878. In chartis occurrit primo a. 881. ap. Muratori antiquit. Ital. medii aevi I, 171, 359, II, 931, 936 (Boehmer, 923, 925, 928). Johannes VIII papa ad eum epistolas dedit, 85, 128, 131, 167 ap. Mansi T. XVII. —

5) Pertz SS. IV, 189. —

6) Koepke de vita et scriptis Liutprandi p. 67. Confirmatur ejus sententia, Berengarium inter diem 26. Dec. 887 et 2. Jan. 888 electum esse charta die 4. Jan. 904 a. regni 17 data et

anni 888 diebus Ticini [1]) rex creatus et coronatus est. Nec multo post cum Wido ex Gallia, repulsa lata regrediens et ipse regnum Italicum sibi comparare studeret, ille cum eo apud Brixiam congressus, multis ex utraque parte caesis, victoriam obtinuit cruentam [2]); post quod proelium mense Octobri commissum utrique usque ad diem 6. Jan. m. anni sequentis inducias fecerunt. Quo peracto postquam Berengarius Arnulfum regem contra se exercitum admovere audivit, veritus, ne ille ex utriusque discordia pro se fructus perciperet, principibus suis praemissis, ipse Tridenti ei praesto fuit [3]). „Ob id ergo, inquit scriptor Fuldensis, et a rege est clementer susceptus, nilque ei antequaesiti regni abstrahitur: excipiuntur curtes, navum et sagum"; quae verba Herimanno Augiensi jam obscura [4]), Pertzius [5]) ita interpretatus est, Berengarium se Arnulfi vassum professum, fundos, si-

---

die 9. Jan. a. 905 a. regni 18 data. (Boehmer No. 1322, 1330.) Repugnant tabulae die 11. Jan. ind. VI (a. 903) a. regni 15. (ap. Giulini memorie di Milano, II, 475) et „a. regni ejus 11, secundo die intrante mense Januario ind. II. (i. e. 899 ap. Campi historia di Piacenza I, 478.) —

1) Paneg. Bereng. I, 27 „ad urbem Irriguam cursim Ticini abeuntibus undis". —

2) Erchempert. c. 82, Paneg. Bereng. I, v. 147 sqq., Ann. Alam. 888, Ann. Fuld. 888. Liutprand. antapod. I, 17 — 18 cfr. Koepke de vita Liutpr. p. 69. Ad testimonia, quibus ab eo duas fuisse pugnas demonstratur, accedit Asserus Anglosaxo (l. l.): „bis pleno proelio inter se belligeravere, et illa regna persaepe devastaverunt invicem".

3) Ann. Fuld 888 cfr. Lupi cod. diplom. Bergom. p. 998 ubi hae res optime explanantur.

4) Herimann. Chronic., 888.

5) Pertz SS. I, p. 406 adn. 9. Paneg. Ber. II, 104 Rheni licitum nec foedera paucis Effari.

cut mos est, ab eo domino suo accepisse eique se festivitatibus et placitis aeque ac militiae paratum se exhibere obligatum esse. Italia igitur, ut etiam Asserus expressis verbis testatur, eadem utebatur condicione, qua et Francia occidentalis et Burgundia. Nec mirari licet, ab Arnulfo, sine cujus permissu aeque Berengarius ac Wido regnum Italicum arripuerant, huic illum praelatum esse, quoniam dux Spoletinus annis 883 et 884 crimine majestatis arcessitus [1]), contra Carolum Crassum apertam seditionem concire ausus esset, marchio vero Forojuliensis jam a. 875 Caroli Crassi adversus Carolum Calvum adjutor [2]), postea quoque a. 883, Widonem perdomaturus missus esset [3]) atque delictum, quod contra Liutwardum commiserat, imperatoris jussu luere non recusasset. Caeterum etiam in his certaminibus Italicis, quamvis uterque aemulus de totius terrae principatu decertare videretur, singularum nationis gentium desideria praevaluisse ac pariter totum populum ex sua naturali varietate in diversas abiisse partes, plane videmus. Si enim universae Italiae provincias perlustremus, primam earum Siciliam tunc a Saracenis ex stirpe Aglabitica administratam cernimus, qui idem etiam apud Lirim fluvium [4]) et Fraxineti [5]) in oppido Ligurico firma habebant receptacula. Ducatus quoque Beneventanus, ne a Carolo Magno quidem plane in potestatem redactus propriis parebat principibus et a Graecis, qui et ipsi partem Italiae inferioris possidebant, per aliquod tem-

1) Ann. Fuld. 883 — 885, Erchempert. c. 79.
2) Andr. Bergomas c. 18 l. l.
3) Ann. Fuld. Pars V, a. 883, Paneg. Bereng. I, 138. —
4) Wido hos a. 885 devicit. Erchempert. c. 58.
5) Liutprand. Ant. I, 3.

pus a. 891 expugnatus, a Spoletinis denuo liberatus est [1]). Romae ipsi et patrimonio S. Petri papa, a quoque Italiae rectore quam minime dependere cupiens, praeerat, qui tunc inconsultis regiis legatis, contra constitutionem Lotharii I, ab episcopis clero populoque Romano solis eligebatur [2]); magnam profecto ad has electiones duces Tusciae et Spoleti finitimi vim habuerunt. Tusciam enim Adalbertus dux, filius Adalberti et Rotildis sororis Widonis regis [3]), cui Diviti [4]) cognomen datum erat, suo arbitratu gubernavit atque etsi Widonis affinis esset, ipse Bertha uxore, Lotharii II filia cum Carolorum quoque stirpe conjunctus [5]), neutri aemulorum palam opem tulit [6]), et damnis, quae invicem sibi intulerunt modo suam auxit potentiam. Spoletinus ducatus qui in utraque Apennini montis parte situs erat [7]), ex Langobardorum temporibus etiam contra reges Francicos majorem libertatem servare solitus, quam caeterae regiones, praeter Gallicos mercenarios plurimos Widoni milites suppeditavit [8]), qui eum,

1) Chronic. St. Benedicti (Pertz SS. III, 202 sqq.), Chron. Salernit. c. 146 sqq.

2) Ann. Fuld. Pars IV, a. 885; Invectivus in Romam ap. Anastasius Bibliothecar. ed. Blanchini T. IV. p. LXXI, ubi Formosi creatio exponitur. —

3) cfr. Muratori delle antichita Estensi I, p. 239; origin. Guelficae, I, 234 (Boehmer No. 1269); epist. Johann. VIII, 164 (Mansi XVII, 113), 258 (p. 191). —

4) Liutpr. Ant. I, c. 39. —

5) Liutpr. l. l., Fiorentini memorie di Matilda, III, 38: Murat. Antich. Est. I, 244.

6) Fiorentini, III, 26.

7) cfr. Chron. Casaur. (Murat. II, 812, 817) „ambos Spoletanos ducatus" (Boehm. 683, 859). —

8) Liutpr. I, 17, Paneg. Bereng. I, 84 „Praecipuum Tyrrhena colunt, qui rura volentes subjicient mihi colla, reor". —

regium nomen adeptus, Widoni consanguineo tradidisse videtur [1]). Similis erat marcae Forojuliensis condicio, cujus comites bellis continuis aliquando contra saevos Avares gerendis magnas sibi comparaverant opes. Hae igitur duae terrae, ad quarum alteram comitatus Veronensis et Liburnia cum Istria foedere conjuncti adjiciendi sunt, patria quasi propria Widoni et Berengario erant iisque cladibus acceptis tutissima dabant refugia. —

Arnulfus, Berengario in fidem recepto [2]), exercitum dimisit ac per fines Forojulienses cum summo equorum detrimento itinere in curtem Carantanam (Karnburg) facto, ibi natalem Domini diem celebravit [3]). Deinde exeunte mense Majo anni 889 Forchheimium contionem convocans generalem [4]), a Francorum primoribus, quod Bavari jam jurejurando confirmaverant, impetrare studuit, ut filiis suis nothis jus succedendi concederent; tandem, illis diu refragantibus, ea tantum condicione eos obligavit, „ut si de legali sua uxore heres ei non produceretur", assentirentur [5]). Haec enim, cui Otae nomen erat [6]), a rege jam ante annum 888 [7]) in matrimonium ducta, tum nondum pe-

1) Chron. St. Bened. (Pertz SS. III, 202 sqq.)

2) Ann. Fuld. 888.

3) cfr. tabulas (ap. Kleinmayrn Juvavia, Anhang p. 107, 108) die 26. Dec. mens. „Carentano" datas (Boehm., 1049, 1050). —

4) Chartae ibi datae sunt diebus 3, 5, 12, 13, 20 Junii mensis (Mon. Boic. XXXI, 128, Dümgé Reg. Bad. 79; Boehmer 1054 — 1057). —

5) Ann. Fuld. 889.

6) Ann. Fuld. 899, Genealog. comit. Flandriae (Pertz SS. IX, 303).

7) Memoratur in diplomate die 12. Maji m. a. 888 dato „ut preces quotannis fierent pro nobis et conjuge nostra". (Boeh-

pererat liberos, nec, cum paucae ejus interventu datae sint chartae [1]), ab Arnulfo multum dilecta fuisse videtur. Qui potius cum concubinis consuetudinem habere solitus, duos ex iis sustulit filios, Zuentebaldum, si recta est Buchneri conjectura [2]) ex Winpurcha, nobili matrona [3]), et Ratolfum fortasse ex Ellinrata, quam regis pellicem fuisse tabula Conradi I [4]) nos docet; cum hac filiam quoque Ellinratam genuit. —

In eodem conventu Forchheimensi Ermengarda, filia Ludovici II imperatoris et Angilbergae, vidua Bosonis regis mater Ludovici magnis cum muneribus ad Arnulfum venit et honorifice ab eo excepta est [5]); cujus tunc regnum Arelatense in summo versabatur discrimine. Boso ejus conditor, Johannis VIII papae et episcoporum maxime auxilio coronam assecutus, nunquam Carolo Crasso homagium reddiderat, qui eam ob causam Normannis Lutetiam Parisiorum obsidentibus, a. 886 terrae ejus devastandae licentiam dedit [6]). Illo autem die 11. Januar. m. a. 887 mortuo [7]), optimates inter se divisi, non statim Ludovico filio ejus parvulo se subjecerunt, sed bello civili exardescente,

---

mer, 1037) et in concilio Maguntiacensi can. I. „oratio — pro rege Arnulfo, ceu etiam pro gloriosa conjuge sua". —

1) Boehmer, 1052, 1131, 1147; Mon. Boic. XXXI, 154, 158.

2) Buchner Dokum. II, 22.

3) Dipl. ap. Mon. Boic. XXVIII, 1, 117 (Boehmer, 1137) „Winpurc — Nordilinga — quod traditione filii sui Zuentipulchi nostraque preceptali donatione in possessionem adepta est". etc.

4) Mon. Boic. XXVIII, 147 (Boehmer 1252). —

5) Ann. Fuld. 890, Dipl. ap. Campi historia di Piacenza I, 471. (Boehmer, 1055) cf. Murat. annali d'Italia V, 194.

6) Reg., 887. Aliam hac de re Wenckius (Erhebung Arnulfs p. 12. n. 5) tuetur sententiam, sed mea quidem opinione minus probabilem.

7) Boehmer p. 186.

quo a „propriis incolis, quos nulla dominationis virga coërcebat" [1]), terra valde afflictabatur, altera eorum pars Saracenos Fraxineti habitantes contra alteram advocavit [2]). A quibus cum Provincia summum contraheret damnum, regis vidua cum filio a. 887 ad Carolum Crassum Kirchheimium venit, qui eum „honorifice ad hominem sibi, quasi adoptivum filium etiam injunxit [3]). Sed postquam regina atque episcopi, imperatorem incommoda valetudine prohibitum nulli sibi adjumento fore, cognoverunt, Bernoinum archiepiscopum Viennensem Romam ad Stephanum VI papam miserunt, qui relata misera Burgundiae condicione; „ad lacrymas usque compunctus" omnes earum regionum episcopos epistolis ad Ludovicum eligendum excitavit [4]). Interea Rudolfus, Burgundiae superioris rex, ex finitimi regni discordiis intestinis lucra faciens, parte ejus potitus est; sicut enim ex episcoporum, qui Bosonem creaverant provinciis liquet [5]), in ejus ditione fuerant: Provincia, Delphinatus, orientalis pars ejus terrae, quae nunc Langued'oc vocatur [6]), Sabaudia [7]), Helvetiae pars, Burgundia (i. e. Bourgogne et Franche Comté), ager Lugdunensis (Lyonnois). Ex quibus postea Helvetiam Rudolfo subjectam cerni-

1) Ludovici regis Arclatensis electio (Pertz Legg. I, 558). —

2) Liutpr. Ant. I, 4 „Saeviunt itaque, exterminant, nil reliqui faciunt." cfr. Bouquet IX, 315, n. 6. Res a Liutprando narratas ad hoc tempus (887 — 890) referendas esse, docent verba electionis „ex una parte Nortmanni cuncta penitus devastantes insistebant, ex alia vero Saraceni Provinciam depopulantes, terram in solitudinem redigebant."

3) Ann. Fuld., 887 Pars V. —

4) Ludovici electio l. l. 5) Pertz Legg. I.

6) Ad hanc pertinebant episcopi Avenionensis et Uceticensis.

7) Ad hanc episcopi Tarantasiensis, Mauriennensis, Aquensis.

mus [1]), cui nisi me fallit Sabaudia quoque et Burgundia orientalis (Fr. Comté) paruerunt. In quibus rebus tam periculosis Arnulfus precibus Ermengardae motus, ut Ludovico diadema imponeretur, Reoculfum episcopum et Bertaldum comitem legatos in Burgundiam misit [2]). Tum denique a. 890 archiepiscopi Aurelianus Lugdunensis, Ludovici magister [3]), Arelatensis, Eburodunensis (Embrun), Viennensis, Valentiae convenientes Bosonis filium regem elegerunt, ejusque tutelam matri ac Richardo Burgundiae duci commiserunt [4]), quos a. 898 etiam tunc in judicio quodam [5]) rem publicam gerentes invenimus. Hoc igitur modo ad caeteros tres regulos, qui Arnulfo permittente imperabant, quartus accessit, et ipse cleri praecipue auxilio principatum adeptus, cui non imprudenter ille fautorem se exhibuit, cum et regnum ejus Franciam orientalem vix tangens difficile sub ditionem redigi potuisset et pariter, quominus Rudolfus fines admodum dilataret, impedimento esset. Synodus, quae a. 892 Viennae habita est [6]), certiores nos facit, iisdem malis, quibus adjacentia laborabant regna, Arelatense quoque affectum fuisse. —

Forchheimii rex etiam legationes Danorum et Sclavanorum admisit [7]), easque, quae in pace cum eo esse cupiebant „sine mora absolvit." Deinde Fran-

1) Episcopus Lausannensis Rudolfo obtemperabat, cfr. Boehmer 1485, 1488.

2) cfr. Eckhart comment. II, 716.

3) Ludov. eum in charta quadam didascalum vocat ap. Bouquet IX, 674 (Boehm., 1448). —

4) Electio l. l., Hugo Flaviniacensis (Pertz SS. VIII, 356.)

5) Scheidius Orig. Guelf. II. Probat, 109. —

6) ap. Mansi XVIII, 121.

7) Ann. Fuld., 889.

cofurti mense Julio [1]) conventu cum Francis habito, cum permagno exercitu contra Obodritos profectus est, qui ab avo ejus Ludovico a. 862 in ditionem redacti [2]), nunc ejus imperia contempsisse videntur. Sed ibi „parumper rebus prospere gestis" i. e. clade accepta Arnulfus celeriter exercitum dimittens et Francofurtum reversus [3]), hac loco a medio Octobri mense usque ad Decembrem ineuntem commoratus est [4]). Ibique Egilmaro episcopo Osnabruggensi immunitatem confirmavit [5]) et ut contra nullum imperii hostem, Danis exceptis, militaret, permisit, sed decimas, quarum tres partes monasteria Nova Corbeja et Heriforda sibi sumpserant ecclesiae ejus non restituit. Quapropter, licet episcopi Maguntiaci congregati expressis verbis [6]), coenobia illa in suam recepissent tutelam, Egilmarus a. 890 de injuria sibi illata apud Stephanum II papam conquestus est [7]), qui eum injuste reditu spoliatum esse judicavit [8]), sed eventum res habuisse non videtur. —

In expeditione illa Slavica, qua suscepta rex die 23. Aug. mens. Novam Corbejam venit [9]), Saxoniam quoque peragravit, quam alias vel forte vel de industria raro attingebat. Huic regioni tunc, Brunone Liudolfi et Odae filio [10]), Egberti et St. Idae ex Eck-

1) Chartae ibi datae sunt diebus 1, 6, 9. Julii mensis (Boehmer 1058 — 1068). —

2) Ann. Fuld., 862. 3) Ann. Fuld., 889.

4) Boehmer, 1067 — 1074; die 4. Dec. mens. rex jam Ulmam venerat cfr. Dümgé Reg. Rad., 81.

5) Erhard reg. histor. Westfal. I, 32, (Boehmer 1067) cfr. Moeser Osnabrück. Gesch. I, 326 — 340 (II Ausgabe a. 1780). —

6) Erhard I, 27. 7) ib. I, 35. 8) ib. I, 37.

9) Boehmer, 1064, Ann. Corbej., 889. (Pertz SS. III, 4). —

10) cfr. dip. ap. Leibnitz scriptor. Brunsvicensia illustrant., II, 371.

harti [1]) probabili conjectura nepote a. 880 a Normannis interfecto, frater ejus Otto (880 — 912), pater posterioris regis Heinrici I. magna cum potestate praeerat, eadem tamen dignitate, qua caeteri comites; quare ab Arnulfo in chartis modo comes [2]) modo marchio [3]) appellatur. Cujus uxorem Hedvigam [4]) filiam fuisse Eberhardi Forojuliensis, sororem Berengarii idem Eckhartus [5]) haud feliciter conjecit, cum in testamento ducis illius tertia ejus filia Heilvinch non Hedviga vocetur [6]) neque haec nomina commutare liceat [7]). Quanta auctoritate Ludolfini jam tum valuerint, ex eo maxime apparet, quod et Ludovicus III Luitgardam, filiam Liudolfi uxorem duxit, et alter fratrum ejus „regum (i. e. Carolorum) neptem" in matrimonio habuit [8]). Nec minori excelluerunt pietate, quippe ex quorum progenie tres sorores St. Hathumoda (852 — 874), Gerberga (874 — 896), Christina [9]) deinceps monasterium Gandersheimense, a patre eorum Liudolfo conditum gloriose rexerunt, aliis quoque duabus et filiolo divino perfungentibus ministerio. Non praetereundum est, Saxones nullius omnium earum expeditionum, quas Arnulfus cum caeteris gentibus suscepit, in partem venisse, licet eos ne magnis quidem contra Danos vel Slavos certaminibus retentos fuisse sciamus, sicut Bavaros bello Moravico.

---

1) Comment. II, 718. 2) Boehmer 1039, 1057, 1060.

3) Schannat Tradit. Fuldens., 219 „Ottonis fidelis marchionis nostri" (Boehm., 1126).

4) Necrolog. Fuld. a. 903. (Leibnitz SS. Brunsvic. III, 762 sqq.) Thietmar. Chron. I, 2.

5) II, 717. 6) l. s. l. 7) Pertz SS. IV, 167 n. 3.

8) Agii vita St. Hathumodae c. 2. (Pertz SS. IV, 167).

9) Hrotsuithae primordia Gandersheim. v. 315, 480, 483. (Pertz SS. IV, 312 sqq. cfr. 167 n. 7). —

Saxonia igitur hoc modo a caeteris provinciis magis disjuncta propria condicione eam quoque ob causam usa esse videtur, quod ibi non tam, quam inter alias gentes Francicas, ingenuorum ordine admodum diminuto, omnes aut erant vassi. aut seniores: nam dum Franci a. 891 cum Normannis proelium modo equestre facere volunt [1]), pedestris imperiti, Saxones postea sub Heinrico rege pedibus merere consueti, denuo ex equo pugnare discerent necesse erat [2]). Qua ex re inter illas totius populi heribannum jam valde exolevisse cognoscimus.

Arnulfus natali Domini iterum Ratisbonae acto, mense Martio a. 890 Omuntesbergi [3]) in Pannonia cum Suatopluco colloquium habuit [4]), a quo fatale illud et utrique populo perniciosum bellum per complures contra Moravos continuo gestum initium cepisse videtur. Rex Moraviae tum summum culmen fortunae adeptus neque animo minor quam opibus, omnibus gentibus Slavicis a Dravo fluvio usque ad Salam amnem imperabat, cum et praeter Moraviam, cujus nomen terrae usque ad Danubium et Granuam flumina et montem Matram impositum erat [5]), maxima Panno-

---

1) Ann. Fuld., 891. 2) Widukind I, 32, 35.

3) locus ignotus, quem Copitarius (Glagolita Clozianus p. LXXII) perperam Münzenberg in Obersteyer esse putavit; haec enim regio nunquam Pannonia vocatur.' —

4) Ann. Fuld. 890.

5) Schafarik slav. Alterthümer ed. Wuttke, II, 492. Constantinus (de admin. imp c. 42), Danubium meridionalem Moraviae finem fuisse, aperte his verbis indicat: „*κατοικοῦσιν μὲν οἱ Τοῦρκοι πέραθεν τοῦ Δανούβεως ποταμοῦ εἰς τὴν τῆς Μοραβίας γῆν, ἀλλὰ καὶ ἔνθεν* etc. In diplomate Heinrici IV a. 1086 dato Moravia patere dicitur usque ad fluvium Wag et silvam Mour (Matra) ap. Cosmae Chron. Boemor. II, 37 (Pertz SS. IX, 92). —

niae pars, quam Constantinus eam ob causam magnam Moraviam [1]) vocat, ab anno 884 ei obtemperaret, Bohemia affinitatis vinculo et foedere firmo copulata esset, omnes populi Slavici Merseburgum usque tributum [2]), quod Francis solvere semper noluerant, regi ex sua natione oriundo ultro darent, Belochrobatos denique ad Carpatum montem habitantes ei subjectos fuisse, verisimillimum esset [3]). In quibus regionibus paullo ante Methodius et Constantinus Thessalonicenses felici eventu religionem christianam docendo, dum Slavis proprias inveniunt litteras, semina quasi humanitatis sparserant, quae non a Francis tradita neque cum decimarum exactione conjuncta, eo magis erant accepta ac fertiliora. Summi pontifices ipsi Moravorum studio libertatis admodum fuerunt fautores, quoniam et Johannes VIII. Methodio archiepiscopatum Moraviae et Pannoniae, hucusque cum Juvavensi conjunctum committeret [4]), et hic atque Stephanus VI, qui ejus interventu, regio titulo ei imposito [5]), Germa-

1) Constant. (de adm. imp. c. 40) magnam Moraviam a Syrmio initium cepisse dicit, quam aliis locis Suatopluci regnum (c. 13) ac sedem Ungarorum (c. 38) appellat. Cum autem (c. 42) Moraviam ipsam a terra inter Danubium et Savum sita distinguit, quin haec ab eo magna Moravia nominata sit, dubitari vix potest. —

2) Thietmar. Chron. VI, 60 „Boemii regnante Zuetepulco duce quondam fuere principes nostri. Huic a nostris parentibus quotannis solvitur census. —

3) Palacky Gesch. v. Boehm. I, 141, cfr. Cosmae Chron. Boemor. I, 14 (l. l. p. 44) (Suatopl.) „sibi non solum Boemiam verum etiam alias regiones hinc usque ad fluvium Ogram et inde versus Ungariam usque ad flumen Gron subjugarat." —

4) cfr. de his omnibus Wattenbach Beitr. zur Gesch. der christl. Kirche in Maehren und Boehmen.

5) Epist. ejus data est „Zuentopolco regi Sclavorum" (Wattenbach Beitr., 43). —

nicum regem in Italium secreto apvocavit [1]), Suatoplucum valde laudarent, quod nulli alii principi, quam beati Petri vicario obedire vellet [2]). Jam Rastislavus, Suatopluci avunculus et antecessor, etsi a Ludovico Germanico ipso a. 846 Moymiri loco constitutus esset, magna cum contentione neque infeliciter contra Francorum imperium dimicaverat et a nepote eam tantum ob causam hostibus a. 870 traditus erat [3]), ut eo acrius omnis exterorum dominatio repelleretur. Nec dubium videtur, quin pax a. 873 coagmentata [4]), quamvis scriptor Fuldensis adversetur, Slavis fuerit utilissima, Francis ignominiosa. A quo tempore usque ad discordiam inter Aribonem et filios antecessorum ejus exortam nullum ab iis contra Germanos gestum est bellum. Difficile autem foret dictu, utra pars, Germani pro dominatu an Slavi pro libertate optimo jure pugnasset: illis enim his pro causa sua rationibus uti licebat, imperii a Carolo Magno conditi finem esse et officium omnes circumcirca nationes barbaras sub suas leges et fidem christianam viarmisque subjungere; Moravos etiam ipsos jus illud ratum habuisse, Ludovico Pio quondam tributum pendendo [5]) et sub Ratislavo duce in deditionem veniendo [6]). Hi vero respondere poterant, sibi nequaquam servitute extera ad cultum Christianum amplexandum opus esse, quo fratrum Thessalonicensium doctrina a papis probata,

1) Ann. Fuld., 890.

2) Epist. Johann VIII ap. Boczek cod. dipl. Morav. I, 42. Stephani VI l. l.

3) Ann. Fuld. 870, Hincm. 870, Reg. 860, Ann. Alamann. 870 (Pertz SS. I, 51).

4) Hincm. 873, Ann. Fuld. 874. —

5) Ann. Einhardi a. 803. cfr. Palacky I, 107.

6) Ann. Fuld. a. 864.

puro putoque fonte imbuti, nullam jam haberent causam cur imperio Francorum in partes divulso se subjicerent neque jurajuranda Ratislavo vi extorta ullam vim habere posse. Quomodocunque res se habet, hoc certe dubitari nequit, quin bellum ab Arnulfo contra Moravos susceptum non simile fuerit multorum certaminum, quae contra Slavos terras inter Albim et Viadum fluvios colentes continuo conserebantur, sed dimicationes potius duorum regnorum pari paene potestate praeditorum, quae altero alterum tangente quiete agere non potuerunt, quibus fato quodam innata atque insita erat cupiditas inter se usque ad alterius interitum digladiandi. Quamvis igitur unde tunc bellum exorsum sit ignoremus, quae in universum causa bellandi fuerit, manifestum est. Nec Reginoni [1]) de rebus orientalibus plerumque pessime instructo, prorsus fides est tribuenda, referenti, Arnulfo cum Suatopluco antea tantam amicitiam intercessisse, ut ei Bohemiam sua sponte cederet et filio nomen ejus, qui compatris locum [2]) tenebat, inderet. Cum Zuentebaldus nothus regis filius a. 893 jam adultus esset [3]), eum a. 870 baptizatum fuisse crediderim, eodem enim anno, quo Suatoplucus perfide amici Francorum personam agens avunculum et patriam, foedere facto, Carolomanno prodidit [4]). Bohemiam vero nunquam Moravis traditam proprios semper habuisse principes atque ultro regi eorum quasi patrono et belli duci se subjecisse, Palackyus [5]) ex annalium Fulden-

1) Reg. a. 890. —
2) Cosmae Chron. Boemorum, I, c. 14. (Pertz SS. IX, 44.)
3) h. a. cum exercitu in Italiam missus est.
4) Ann. Fuld., 870.
5) I, 144 cfr. Ann. Fuld., 895.

sium loco satis demonstravit, idque foedus a. 871 filia principis Bohemorum Suatopluco in matrimonium data [1]) et baptismo Boriwoi ducis eorum ictum esse [2]), ejusdem verisimilis est conjectura. Causa belli, quam Regino etiam affert, Suatoplucum, „fastu superbiae inflatum contra Arnulfum rebellavisse" nihili omnino facienda est; hoc tamen certum esse videtur, eodem anno jam regem hostiliter in Moraviam irrupisse [3]), ut terram devastando adversarii animum flecteret. Sequenti autem (891) legatos ad pacem renovandam [4]) ad eum misit, dum ipse ad omnia certamina promptus et paratus in partibus Germaniae orientalibus per magnam anni partem residit. —

A Pannonia rex Forchheimium [5]) se vertit indeque in Alamanniam perrexit ob seditionem contra se concitatam, quae a scriptoribus aut prorsus omittitur aut obscure tantum significatur. Hanc enim gentem inter omnes Carolo Crasso maxime favisse et ultimam Arnulfo se subjecisse, supra jam dictum est. Itaque Bernhardus, qui sine dubio patris praedia ibi sita post ejus mortem receperat, nunc ad maturam aetatem provectus, a. 890 cum Bernhardo abbate Sti Galli et Udalrico comite conjurans motum afferre rei publicae

1) Ann. Fuld., 871.

2) Cosmae Chron. I, 10, Ann. Pragenses a. 894 (Pertz SS. III, 119).

3) Reg., 890 cfr. Palacky I, 145.

4) Ann. Fuld., 891.

5) Ann. Fuld. 890. Dipl. die 1. Junii „Foracheim" datum ap. Pertz Probedruck eines Urkundenbuchs d. welfischen Lande p. 8. In hoc conventu 14 episcopi, archiepiscopis Maguntiacensi et Coloniensi praesidentibus et 5 abbates monasterio Herisiensi privilegia et possessiones confirmarunt. Schaten annal. Paderborn. I, 221. —

ausus est [1]. Quamobrem Arnulfus mense Junio Ulmam veniens [2] consobrino suo ex Raetia fugere compulso [3], Udalricum comitem pagorum Argen- et Lintzgowe virum nobilissimum, utpote qui ab antiquis Alamanniae ducibus originem traheret [4], omnibus possessionibus privavit [5], pro Bernhardo „suis culpis exigentibus" de abbatia dejecto [6] et die 9. Junii m. mortuo [7], Salomonem ante Augustum m. [8] ejusdem anni regia potestate primo subrogavit, quem fratres postea secundum regulam St. Benedicti elegerunt [9]. Isanrici denique presbyteri, quia „Pernharto regie majestati resistenti consentit," terras fisco addixit [10]. Annales Fuldenses, qui de his motibus plane tacent, eos his verbis significare videntur, „multimodis causis in suo regno excrescentibus" regem, quominus hoc anno in Italiam proficisceretur, impeditum esse [11]. Udalrico et uxori ejus Perethedae jam eodem anno, cum Arnulfus „causa orationis" in Augiense monaste-

---

1) cfr. Neugart cod. dipl. Allemanniae I, 526 n. a.

2) cfr. Dipl. die 26. Jun. m. „ad Ulma curte regia" datum ap. Monum. Boica XXXI, 1, 135.

3) Ann. Alamann. (Pertz SS. I, 52) 890 Berenhart, filius Caroli vix de Retia evasit. —

4) Stälin wirtemberg. Gesch. I, 243 ejus stemma exponit.

5) Dipl. ap. Neugart. I, 481 (Boehmer No. 1077) „comperientes, Odelricum — pravo consultu contra regalem majestatem nostram deliquisse." —

6) Ekkehard. casus Sti Galli (Pertz SS. II, 83) „Gerhaldo (corr. Bernhardo) abbate deposito." Dipl. ap. Neugart. I, 525 (Boehmer, 1190) „quia Bernhardo regiae majestati resistenti, et regni alieni invasori favit, abbatia sua ablata est." —

7) Abbatum St. Galli catalog. (Pertz SS. II, 35).

8) Neugart I, 484. Aug. m. primo abbas vocatur. —

9) No 1190. 10) Dipl. ap. Dümgé Reg. Badensia, 83.

11) Ann Fuld., 890.

rium (Reichenau) et Constantiam perveniret [1]), Hattonis abbatis interventu, cui dono erant data omnia praedia, uno excepto, restituta sunt. Alamannos tamen etiam sequenti tempore inimico in regem animo fuisse, annalium Fuldensium verba testantur, eos „quasi aegrotantes" ab expeditione a. 891 contra Normannos suscepta in patriam sua sponte reversos esse. Quapropter rex natalem Domini ejusdem anni Ulmae agens [2]) usque in mensem Januarium exeuntem [3]) in Alamannia moratus est, Bernhardo eo circiter tempore a Rudolfo [4]) marchione Raetiae Curiensis [5]) occiso regio certe jussu. Ex quo tempore nihil amplius de Alamannorum seditionibus audimus, immo eos et contra Moravos et in Italiam castra movere videmus. Cujus mutationis profecto magna ex parte erat Salomon auctor, vir „nobilitate, prudentiae ac sapientiae virtutibus insignitus" [6]), qui cum quinque deinceps regibus, Ludovico Germanico, Carolo III, Arnulfo, Ludovico IV, Conrado I [7]) in tanta esset gratia, ut eorum favore „tandem duodecim abbatias rexisse" diceretur [8]). Ab Isone enim St. Galli monacho „tunc tem-

---

1) Ann. Fuld. l. l., No. 1077. Gagernius (vita Arn. imp. p. 78) recte hanc chartam in fine a. 890 ponere voluit.

2) Ann. Fuld., 891.

3) Die 21. Jan. 892 tabulam dedit ad Zusemarohuson prope Augustam Vindelicor. Dümgé Reg. Bad., 82.

4) Ann. Alam., 891 „Perenhart, f. K. a Rudolfo occisus", Ann. Laubac. 892 id.

5) Neugart I, 487. Traditio Himilthrudis (a. 890) „sub Ruadolfo duce Raetianorum." In dipl. s. l. (No. 1190) nominatur „Purchart marchio Curiensis Rhaetiae", ejus successor (a. 903). — 6) Reg a. 890. 7) Ekkehard. l. l. p. 92.

8) id. p. 83. Dimicandi quoque non rudem fuisse verba ejus in charta quadam docent „profecturus in hostem, si de

poris doctore nominatissimo" in litteris eruditus, Ludovici regis factus est capellanus [1]), a quo monasteriis Elwangensi tum florentissimo [2]) et Cambodunensi (Kempten) praeficiebatur. Postea in numero monachorum Sti Galli habitus in palatio regio versari non desiit atque a. 890 Salomone II episcopo Constantiensi II die April. m. e vita decedente [3]), successor ejus electus est. Ekkehardus IV quidem scriptor saeculi XI anno et dimidio post abbatis Sangallensis dignitatem hoc munus ei oblatum esse refert [4]), sed repugnant ei Regino, annales Fuldenses, annales Alamannici sub anno 890 Salomonis II mortem et ejus creationem tradentes [5]). Idem Ekkehardus summis eum efferens laudibus, raro deinceps hominem exstitisse asserit [6]) „in quem largitor omnium bonorum tantum suorum congereret bonorum," neque immerito „metro primus" fuisse ab eo narratur, quippe cujus poëmata etiamnunc legentibus delectationem habere possint [7]). Cum autem hic tantus vir amicitiam regum, magnis ab iis suisque ecclesiis et coenobiis donationibus impetratis, ad lucrum revocaret, fieri non potuit, quin in odium et invidiam multorum nobilium Alamannicorum incurreret, et praecipue Erchangeri et Bertholdi fratrum,

---

acie non remearem" ap. Neugart I, 554. cf. Stälin wirtemb. Gesch. I, 365.

1) id. p. 78.

2) Anonym. Haserensis c. 8. (Pertz SS. VII, 256).

3) Necrolog. Augiense l. l. habet hunc diem.

4) Ekkehard. p. 83.

5) Reg. 890, Ann. Fuld. 890, Ann. Alam. 890.

6) p. 91 — 92. —

7) Typis expressae sunt ap. Canisii antiquae lectiones ed. Basnage, II, 3.

camerae nuntiorum, quorum reditus, cum ex bonis regiis perciperetur, largitione illa admodum deminuebatur [1]). Episcopo igitur vim allaturi ei aliquando cum manu armatorum noctu supervenerunt sed frustra eum in vallem Turbatam (Turbenthal) confugientem insecuti sunt. Etsi postea eo tantum interveniente in regis gratiam redierunt, sequenti quoque tempore summam in eum inimicitiam, ipsis postremo perniciosam exercuerunt. —

Arnulfus natalem Domini a. 890 Ratisbonae celebravit, cujus civitatis episcopatum tunc, Embrichone [2]) die 14. Julii m. a. 891 mortuo [3]), Aspertus diaconus et regius cancellarius suscepit [4]). Urbs vero ipsa, quam rex praecipue diligebat, 10 die Aug. m. „exceptis domibus Sti Emmerammi martyris et ecclesia St. Cassiani" tota incendio consumpta est [5]). Eodem quoque anno Arnulfo, dum in res Moravicas omnem operam confert, occasio offertur contra Normannos, quorum metus ad Carolum expellendum multum attulerat, speciminis fortitudinis dandi. Quae saevissima gens jam dudum Franciae occidentali maximas latrocinando plagas infligens, quae et majorem praebuit praedam et minores habuit ad resistendum vires, a. 864 primo in interiores Germaniae partes ad Xantum usque processit [6]) ac sequenti tempore, Saxoniae et Frisiae ora maxime afflictata saepius has invasiones repetivit. A quibus a. 880 tantam cladem Saxones acceperunt, ut uno proelio duo episcopi, duodecim comites, 18 sa-

---

1) Ekkehard. p. 83 — 84. 2) Ann. Fuld. 891.
3) Necrolog. Sti Emmerami (Mon. Boica XIV, 365 sqq.)
4) Ann. St. Emmerammi. 5) Ann. Fuld. 891.
6) Ann. Xant. a. 864, Hincmar., 864.

tellites regii trucidarentur [1]. Perniciosissima autem et cujus effectus per diuturnum tempus sentiebatur, expeditio a. 881 — 882 suscepta, erat, qua praeter Galliam Belgicam tota paene Ripuaria cum tam frequentibus et tam claris urbibus, castellis, monasteriis, prorsus exspoliata est, Noviomago, Colonia Agrippina, Aquisgrano „ubi in capella regis equis suis stabulum fecerunt", Augusta Trevirorum, Divoduro aliisque multis combustis [2]. Ad quam calamitatem respicientes episcopi Maguntiaci congregati, verbis lamentabilibus [3] patriae miseriam depinxerunt: „Videte et considerate, quam praeclara, nobilia servorum Dei aedificia destructa et incensa sunt, et funditus ad nihilum redacta. Altaria defossa et penitus conculcata, ornamenta ecclesiarum Dei valde pretiosa et mirifica direpta et igni exusta. Episcopi et sacerdotes et caeteri ordinis ecclesiae viri, gladio truncati et diversis poenarum generibus morti addicti Omnis aetas utriusque sexus, gladio et igne, diverso mortium genere consumpti. Omnia desiderabilia et pretiosa nobis ablata sunt. — Cujus subversionis periculum incolae monasteriorum utriusque sexus metuentes, huc illucque vagantur incerti penitusque omni solatio destituti, quid agendum quove declinandum, errabundi cum periculo suae professionis, et sine pastore ignorant." Similiter de temporis illius malis poëta Saxo his verbis conqueritur [4]: „Vae tibi, vae tali modo defensore carenti Frantia, quam variis cladibus opprimeris? Gentibus ecce pa-

1) Ann. Fuld., 880.

2) Ann. Vedast., 882, Reg. 881, 882, Ann. Fuld., 881 — 882, Hincmar, 881, 882, Ann. St. Maximini Trevir. a. 882.

3) Mansi XVII p. 62.

4) Lib. V, v. 405 (Pertz SS. I, 274).

tes populantibus undique saevis, Et quondam felix, nunc nimis es misera; Quippe tui hilares exultant fletibus hostes, Ditanturque tuis assidue spoliis, Milia cesorum captivaque turba tuorum Amplior est numero, quam sit harena maris. Nam Carolo moriente, tuum decus et honor omnis Ex illo sensim fugit et interiit." Quali aspectu oppida a Normannis invasa fuerint, diserte scriptor Vedastinus docet [1]): „Nortmanni non cessant captivare atque interficere populum christianum, atque ecclesias subruere, destructis moeniis et villis igne crematis. Per omnes enim plateas jacebant cadavera clericorum, laicorum, nobilium atque aliorum, mulierum juvenum et lactantium, non enim erat via vel locus, quo non jacerent mortui et erat tribulatio omnibus et dolor, videntes populum christianum usque ad internecionem devastari." Carolus Crassus, regum Franciae occidentalis infirmorum exemplum imitatus hostes, quos superare aut non potuit aut non ausus est auro redemit, terramque, quam vastaverant ultro eis tradidit, cujus perniciosi consilii brevi post poenitens perfidia tantum a rege Normannorum in Frisiam recepto liberatus est. Lutetiae quoque Parisiorum, Heinrico comite praematura morte oppresso, nihil contra hostes ab urbis illius civibus magnanimis tamdiu repulsos valuit, qui proximis annis in Gallos, in quorum patria compluria habebant castra stativa, magis quam in Germanos incubuerunt. Manus igitur eorum quae jamdiu in his regionibus morata etiam Parisios oppugnaverat, a. 887 usque ad Mosam amnen progressa partem Burgundiae devastavit [2]); tum a.

1) Ann. Ved., 884 cfr. Richer Historiar. L. I. c. 6.
2) Ann. Fuld. P. IV, 887, Ann. Ved. 887.

888 Meldis civitate (Méaux) funditus sublata, [1]) per Matronam Sequanam ingressa ad Luviae (Louain) fluvii ripam hiemaverunt; a. 889 Burgundiam, Lotharingiam usque ad Verodunum et Tullum, Neustriam, partem Aquitaniae pervagati, tempore brumali Constantiam urbem (Coutances) everterunt [2]); anno tamen 890 magna iis clade ab Alano et Judicheilo ducibus de Britanniae regimine decertantibus illata [3]), per Sequanam Isam ingressi Noviomagi (Noyon) castra metati sunt, quos, hieme ibi peracta, Odo rex ab expeditione usque ad Mosam facta redeuntes, super Galtheram fluvium assecutus praeda solummodo privavit [4]). Deinde tempore vernali a. 891 Normanni maritima loca petentes, aestatem ibi transegerunt indeque iterum ad Mosam usque agros peragraverunt. Cum autem auctor annalium Vedastinorum, hujus rei unicus testis, Arnulfum velociter occurrisse eosque trans Scaldim fluvium et prope Atrebates sine eventu insecutum re infecta in regnum suum rediisse tradat, id mensibus Majo vel Junio factum fuisse putaverim, quia die 22. Apr. regem Ratisbonae [5]) et die 21. Julii rursus in curte regia Matahhova (Mattighofen) [6]) commorantem invenimus, quem, ut tam celeriter in Bavariam reverteretur, fortasse bellum Moravicum imminens commovit. Misit tamen ad hostes a finibus Germanicis, quos iterum invaserant, arcendos exercitum Francicum, qui Trajecti (Mastricht) convenire jussus est [7]). Priusquam

---

1) Ann. Ved., 888. 2) Ann. Ved., 889, Reg. 890, 889.
3) Reg., 890, Ann. Ved., 890, Fabii Ethelwerdi chron. ap. Monumenta historica Britannica ed. Petrie et Sharpe, I, 517.
4) Ann. Ved. 891. Galtherae fluvii situs ignoratur. —
5) Boehmer, 1090. 6) Monum. Boica XXXI, 1, 137.
7) Reg. 891, Ann. Fuld. 891, Ann. Ved., 891.

cuncti illuc pervenire potuissent, Dani a tergo eorum prope Leodium (Lüttich) Mosam transgressi et regionem Aquisgrano vicinam pervagati copias hostiles commeatu intercluserunt. Tunc christiani die 26. Junii m. castris motis cum Guliam (Geule) fluvium modo transissent, ab hostibus inopinato circumventi „peccatis facientibus" terga verterunt multosque suorum amiserunt, inter quos Sundaroldus seu Sunzo, archiepiscopus Maguntiacensis [1]), Liutberti, qui die 17. Febr. m. a. 889 obierat [2]), successor, antea monachus Fuldensis, et Arnolfus comes erant; omnes captivi a victoribus interfecti sunt. Quo gravi nuntio accepto rex ad tantam maculam eluendam cum exercitu Francico [3]), Alamannis seditiosis domum reversis, regiones occidentales regni petivit, in quibus Normannos, Lotharingia devastata, Luvanii ad Thiliam (Dyle) fluvium locum „ligno et terrae congerie more solito" hiemandi gratia munivisse audivit. Amnem illum igitur transgressus, hostes repente oppressit. Contra quos flumine et palude munitos, cum locus equestris proelii non daretur, Franci, rege id ipsis persuadente ab equis desilientes, pugna pedestri magnificam reportarunt victoriam, duobus regulis hostium Sigifrido et Godofrido occisis, castra ceperunt, signisque sedecim potiti sunt. Quia Regino et scriptor Vedastinus de principibus illis Normannicis omnino tacent, sub annis 885 et 887 duos Danorum duces Godefridum et Sigefridum necatos

---

1) Ann. Alam., 891, Necrolog. Fuld., 891 Sundarolt archiepiscopus VII Kal. Jul.

2) Ann. Fuld., 889, Necrol. Fuld., 889.

3) Errant Ethelwerdus et auctor chronici Anglo-Saxonici (Monum histor. Britann. I, 517, 362 a. 891), qui Bavaros quoque et Saxones regem comitatos esse retulerunt.

esse referentes, Lappenbergus [1]) annalibus Fuldensibus fidem prorsus abrogare vult. Sed auctor hujus annalium partis manifesto testis pugnae Thiliensis oculatus fuit, neque adeo sibi ipsi repugnare potest, ut mortem Godefridi iterum s. a. 885 [2]) enarret. De die hujus proelii variae exstant opiniones. Boehmerus [3]) annalium Vedastinorum testimonio [4]) fretus, id mense Novembri commissum esse putavit, verum scriptor Fuldensis illud Kalendis mensis cujusdam, cujus excidit nomen accidisse dicit, ideoque, si revera Normanni Novembri demum mense iter Luvanium fecissent, Kal Dec. Arnulfus contra eos dimicasset, oporteret. Huic tamen sententiae duae [5]) refragari videntur chartae, a rege diebus 1 et 9 Oct. mensis Trajecti et juxta Mosam datae, cum non verisimile sit, principem proeliandi cupidissimum per duos menses in regionibus illis ab hostibus vastatis in otio vixisse. Quare Lappenbergus [6]) aliique Kal. Sept. pugnatum esse censuerunt, Justum Lipsium [7]) testem adhibentes, qui victoriae illius gratia, plerisque hoc nescientibus, hunc diem suo etiamtum tempore Luvanii „supplicatione annua, ludis, conviviis laetitiaque" celebrari conjecit. Normanni, qui nondum ad internecionem deleti erant, hostibus digressis, undique se colligentes iterum apud Luvanium castra locaverunt, ibique hieme peracta, mense Febr. a. 892 [8]) Ripuariam trans Mosam sitam

1) Gesch. v. England I, 341 n. 2.

2) Godofridus rex — occisus. 3) Reg. Carol. p. 107.

4) a. 891 „decreverunt Luvanio sibi sedem firmare ad hiemandum, illucque mense Novembrio petunt iter".

5) Boehmer 1091, 1092. 6) l. s. l.

7) Lipsii opera, Antverpiae 1637 Tom. III p. 759 Lovanium c. V. 8) Reg. 892.

percurrentes Bonnam venerunt et inde, postquam exercitus christianus ad villam Landulfesdorf cum iis congrediens nullum damnum iis inferre potuit, Prumiam monasterium ingressi, „omnia depopulati sunt, et quosdam ex monachis interficientes plurimamque familiam trucidantes, reliquos captivos duxerunt". Nec minoribus praedis ex castello quodam firmissimo in Arduenna silva sito, multorum mortalium actis, in castra redierunt ac deinde auctumni tempore ob famem, qua Francia laborabat, Bononiam (Boulogne) petentes, inde cum 250 navibus Cantiam transvecti sunt [1]), Bierno fortasse illis imperante [2]). Quamquam per omne sequens tempus abhinc nullae paene commemorantur a scriptoribus Normannorum invasiones in Germaniam factae, eas tamen nondum prorsus cessasse, concilii Triburiensis a. 895 habiti canon 34. testatur, cujus haec sunt verba: [3]) „Undique bella consurgunt, hostes saeviunt, inimica gens paganorum insequitur populum christianorum — Quapropter zelo divinae aemulationis christiani exercitus procedunt ad bellum. Fit conventus christianorum et paganorum — saepe fuit victoria christianorum, victa est pars paga-

1) Ann. Ved. 892, Ethelwerdi chron. l. l. p. 518, Chron. Anglo-Saxon. a. 893 p. 363.

2) Guido de Bazochiis († 1203) ap. Alberic. chron. a. 895 (Leibnitz accessiones histor. II, 228), Villelmi Gemmeticens. Hist. Normann. I, 11 (Duchesnius Hist. Normannor. SS. p. 221) „Biern totius excidii signifer, exercituumque rex".

3) Mansi XVIII p. 149 cfr. Diploma Egilmaro episcopo Osnabruggensi datum (Erhard Reg. Hist. Westf. I, 32, Boehmer, 1067) quo huic ab omni militia vacare concedebatur, „nisi Dani ad delendam christianitatem sui episcopii naves ascenderent". Etiam Adam Bremensis (L. I. c. 54) incursionum Normannicarum saec. X. ineunte in Saxoniam factarum mentionem injicit. —

norum" etc. Neque ad Ungaros haec verba referri possunt, qui terminos Francicos tunc nondum attigerant, neque ad Moravos, fidem christianam jamdiu confessos et pacem tum habentes

Arnulfus, natali Domini in Alamannia acto, ad fines orientales se contulit, ubi Suatoplucus, ut pax conveniret, ad conventum se affore promiserat. Sed cum hic se venturum esse negaret, Arnulfus Hengistfeldi [1]) cum Brazlawone, Slavoniae duce colloquutus, cum eo de opportunitate et ratione belli deliberavit ac cum tribus exercitibus in Moraviam intrare decrevit [2]). Quinam illi tres exercitus fuerint, quia ex annalium Fuldensium narratione non satis patet, alii scriptores alio modo explicare tentaverunt. Mihi tamen ex subsequentibus auctoris verbis, regem „assumptis secum Francis, Bajoariis, Alamannis" contra hostes ivisse, aptissima explanatio esse videtur, eum diversarum gentium acies exercituum nomine distinxisse, sicut a. 894 de exercitu Alamannico loquitur. Cum his igitur copiis rex mense Julio a. 892 in Moraviam ingressus eam per quattuor hebdomadas „Ungaris etiam ibidem ad se cum expeditione venientibus" foede vastavit, sed sicut annalium silentio dilucide demonstratur sine aliquo eventu in patriam rediit [3]). Ad Bulgaros quoque tum a Vladimiro duce [4]) gubernatos legationem per longas viarum ambages iter facientem mense Septembri misit, quae pacem sub Ludovico Germanico

1) Hengstberg prope Wildon oppidum Styriense ex Kopitarii conjectura (Glagol. Clozian. p. LXXII). —

2) Ann. Fuld., 892. 3) Ann. Alam., 892.

4) Ann. Fuld., 892, Vita st. Clementis ed. Miklosich c. 19. p. 25. Constantin. de admin. imp. c. 32, qui eum Vlastimirum vocat. —

compositam renovaret et „ne coëmptio salis inde Moravis daretur", rogaret; haec re confecta mense Majo sequentis anni feliciter reversa est. Eodem tempore, quo expeditio illa contra Moravos suscepta est, Arno bellicosus episcopus Herbipolitanus, sua sponte, ut videtur, impetu in Bohemos eorum socios facto, regrediens non longe a Caminizi amne (Chemnitz) in pago Chutizi [1]), dum die 13. Julii m. [2]) missam canit, a Chutizis, gente Slavica obtruncatus est. Quam rem recte quidem Palackyus cum Arnulfi bello pari tempore gesto aliquo modo connexam fuisse cognovit [3]), sed manum ejus unum ex tribus regis exercitibus fuisse haud crediderim, cum non illius, sed Popponis ducis Thuringiorum suasu motus dimicasse tradatur. Fuit autem vir ille, qui hoc modo martyr Christi exstitit et piissimus, ut qui decem in episcopatu suo novas ecclesias conderet et fortissimus Francorum contra Slavos propugnator. Anno 855 Gozbaldum praeceptorem suum die 20. Sept. m. mortuum episcopus Herbipolitanus subsecutus, a. 871 cum Ruodolto comite, limitis custos contra Bohemos seditiosos missus, maximam inde praedam fecit, a. 872 fortiter sed dubio eventu contra eosdem hostes pugnavit, a. 884 cum Heinrico comite cruentam sed gloriosam ex Normannis victoriam retulit [4]). Arnulfus a. 889 quattuor tabulis [5]) ejus ecclesiae omnes antecessorum donationes, immunitatem,

1) Reg. 882, Thietmar. I, 3.

2) Eckhart comm. de reb. Franc. orient. II, 730, Calend. Merseb. l. l., Necrol. Fuld. a. 892.

3) Gesch. v. Boehmen I, 148.

4) Ann. Fuld., 855, 871, 872, 884.

5) ap. Monum. Boic. XXVIII, 1, 92, 95, 98, Eckhart II, 892 (Boehmer No. 1070—1072, 1074). Arno nominatur ab eo „honorabilis episcopus et dilectus familiaris noster". —

decimam partem tributi, quem Slavi in Francia occidentali habitantes regio fisco conferebant, confirmavit. —

Priusquam, quae deinde in Germania acciderunt, persequamur, de Ungaris, quorum commemorandorum hanc primam occasionem nanciscimur, fusius disseramus necesse est. Cum autem supervacaneum et inutile foret, de prima eorum patria nondum explorata magnum conjecturarum numerum, hoc loco nova aliqua augere — qui campus etymologis potius relinquatur — ab ea terra, quam Constantinus Porphyrogenitus ultimam ante Pannoniam invasam ab iis habitatam fuisse aperte indicat, ordiri malui. Hanc enim et eandem esse, quam suo tempore Patzinacae colerent [1]), et ex fluviorum percurrentium nominibus appellatam esse [2]) dicit. Quos cum Baruch (Bug), Cubu (Cufis), Trullum (Dniestr), Brutum (Pruth), Seretum (Sereth) vocet, Patzinacarum vero sedes a Durostoro (Distra, Silistria) ad Danubium sito usque ad castellum Sarkel in ripa Tanaidis fluvii per 60 dierum iter extensas esse referat [3]), Ungaros occidentalem tantum harum regionum partem i. e. eas terras, quas nos Moldaviam, Bessarabiam, Chersonem nominamus, occupavisse apparet. In his autem, in quibus cum Cabaris, uno ex octo Chazarorum tribubus commixti, pastiones habebant [4]), jam ante id tempus, quod a plerisque pro vero accipi solet, consedisse, Leo Grammaticus [5]) et Georgius Monachus [6]) de pugna ad

---

1) De admin. imp. c. 37.

2) ib. c. 38 *ὁ τῶν Πατζιναχιτῶν τόπος ἐν ᾧ τῷ τότε καιρῷ κατῴκησαν οἱ Τοῦρκοι, καλεῖται κατὰ τὴν ἐπωνυμίαν τῶν ἐκεῖσε ὄντων ποταμῶν.*

3) ib. c. 42. 4) ib. c. 39. 5) ed. Bonnens. p. 281.

6) de Michaele et Theodora c. 8.

Istrum inter Ungaros et Graecos fugitivos Theophilo imperante (829—842) commissa referentes testantur, quibuscum optime Hincmarus consentit, a. 862 haec tradens: „hostes antea illis populis inexperti, qui Ungri vocantur regnum (Ludovici) populantur", quam eandem rem annalium Alamannicorum continuator Sangallensis a. 863 assignat [1]). Cum perpauca et obscura sint, quae a scriptoribus et Byzantinis et occidentalibus de Pannoniae ipsius expugnatione memoriae proдantur, magno historiae emolumento contigisse videtur, ut ab auctore domestico, Belae regis notario anonymo [2]) haec res fuse explicatae sint. Attamen utrum veritati magis profuerit an obfuerit, valde ambigo. Vixit enim hic vir ducentos saltem annos post ea facta, quae inprimis narranda sibi proposuit [3]), versibus popularibus [4]), Reginone ejusque continuatore [5]), annalibus Ungaricis praecipue fontibus [6]) usus. Etsi carmina in vulgi ore versantia non admodum copiosa fuisse apud Ungaros, Keza et Thuroczius plane demonstrant, pleraque, quae de gentis suae primordiis sciunt, ex poematibus Germanicis de Attila conditis vel ex stemmate populorum Mosaico depromendo, annales autem Ungarici, quia non ante Stephanum regem ex cujus tempore vetustissimi ad nos pervenerunt [7]), eos scribi potuisse manifestum est summam tantum rerum attingere, non singula quaeque facti posteritati

1) Pertz SS. I, 50 „Gens Hunnorum christianitatis nomen aggressa est" ib. p. 76. Ann. Sangall. maj.

2) ed. Endlicher, Viennae 1827.

3) Selig Cassel magyar. Alterthüm. p. 49 sqq.

4) ib. p. 40. 5) ib. p. 34.

6) Anonym. c. 7. „sicut in annalibus continetur cronicis".

7) Chron. Posoniense ap. Endlicher monum. Ungar. p. 55.

tradere potuerant, anonymus noster tamen mirum in modum accuratissimam omnium certaminum narrationem nobis reliquit. Quam Pray, Katona, Engelius, Fesslerus, Maylath alii sicut unicam paene veteris historiae Ungaricae normam sequuti, id tantum in commentationibus suis egerunt, ut ceterarum gentium scriptores volentes nolentes cum hoc consentire cogerent. Verumtamen anonymum cum aliis auctoribus conferenti tot occurrent dubitationes, quarum infra in appendice nonnulla afferam exempla, ut in rebus, quarum nulli alii sunt testes, omnem fidem ei abrogare vix cunctaturus sit. Sed, dicet fortasse aliquis, etiamsi in singulis proeliis explicandis, auctor multis in erroribus versaretur, universa tamen Ungaricae invasionis ratio et progressio recte ex eo cognosci posset. Casselius nuper de anonymi operis consilio multa disputans, id ei praecipue propositum fuisse existimavit [1]), ut Ungarorum irruptionem ob nullam aliam causam factam esse argumentetur, quam quod legitimi ejus terrae fuissent possessores. Cui opinioni Belae notarius, veri minime anxius investigator, per totum librum suum tam pertinaciter adhaerescit, ut non historiam expugnationis cujusdam sed rerum mutationis legere credamus, quoniam civium sorte nullas vices peragente, rerum tantum regimen ab uno ad alium transierit dominum, et ab non legitimo quidem ad legitimum. Cum principum militibus solummodo a novis advenis, ex ejus narratione, confligitur, dum omnes terrae incolae nihil antiquius habent, quam ut pristinorum regum suorum posteris quam celerrime se suosque subjiciant iisque omne adjumentum afferant. Arpadius ipse, quamvis gentem ab Attila quondam

1) l. l. p. 25.

rectam Hunnos vocatam fuisse nesciret, rerum a Dario et Alexandro gestarum bene gnarus [1]), ex consilio quodam antea meditato avorum suorum regnum et hoc solum [2]), quod quam late patuerit tabulae geographicae eum docuisse videntur, recuperandum aggreditur. Ubique legationes exercitus hujus regis humanissimi praeeunt, qui, priusquam armis ille jus suum persequatur, verbis pacificis invasores, ut eam sine caede reddant adducere tentant. Praeter originem Arpadii ab Attila deducendam poetica quoque fabula, ex vulgi rumore hausta, quam etiam apud Thuroczium reperimus [3]) de Pannonia a Suatopluco equi dono empta, anonymus noster magnus alias rusticarum nugarum contemptor, quia consilium suum adjuvabat, ad historiam eam accomodans, ad Ungarorum jus demonstrandum usus est [4]). At ne his quidem contentus, divino sancti spiritus auxilio et ductu, qui scilicet Almum, Arpadii patrem virum paganissimum inspiravit, expugnationem quasi consecrare et sancire conatus est. Ungaros quoque artes et studia tunc magis nostratibus coluisse paene putares, qui „omnibus symphoniis, dulcibus sonis cythararum et fistularum", cantibus joculatorum delectati coram rege, quem pacto quodam fideliter servando elegerant, „cum clypeis et lanceis torneamentum" (Turnier!) facere docti erant [5]). Sed veniamus jam ad ea, quae ab aliis scriptoribus his non prorsus consona traduntur. Ungaros non ob jus ullum hereditarium, sed a Patzinacis prioribus sedibus

---

1) Anon. c. 8. 2) Anon. c. 57.

3) Schwandtner scriptores rer. Hungaricar. p. 82. cfr. Primus sexternus de cronico Ungarorum ap. Engel Monum. Ungrica p. 17. 4) Anon. c. 14, 16, 38.

5) Anon. c. 46, 50, 52.

privatos Pannoniam quasi receptaculum expetivisse Constantinus planis verbis docet. Attilam enim atavum Germanos, Ungaros semper cum Avaris et Hunnis confundentes iis suppeditasse Casselius pluribus rationibus probavit [1]). Arpadium autem latronis instar cum expedito suo equitatu irrumpentem incolas cum donis scilicet genti inauditae obviam euntes, non quasi bonum opilionem gregem suam pavisse, sed quasi lupum rapacem dilaniasse, multi vociferantur testes, quorum nonnullos laudare liceat: „Ungari, dicit scriptor Fuldensis (s. a. 894) multa miserabilia perpetravere. Nam homines et vetulas matronas penitus occidendo, juvenculas tantum et jumenta pro libidine exercenda secum trahentes, totam Pannoniam usque ad internicionem deleverunt". Similiter loquitur Constantinus [2]) de Moravis „*ἐλθόντες οἱ Τοῦρκοι τούτους παντελῶς ἐξωλόθρευσαν, καὶ ἐκράτησαν τὴν αὐτῶν χώραν — καὶ οἱ ὑπολειφθέντες τοῦ λαοῦ διεσκορπίσθησαν προσφυγόντες εἰς τὰ παρακείμενα ἔθνη*". Annalista quoque Saxo [3]) saevitiam eorum ita depingit: „Ungari fines Saxonie dèpopulati sunt, multosque interfecerunt, mulierum quoque turbam innumerabilem nobilium, liberalium et ancillarum, nudam et per crines catervatim veluti loris per capita connexam et mamillis perforatam, cum puerulis secum captivam abduxerunt". Anonymus [4]) ipse semel consilii sui oblitus, Ungaros tunc temporis „de effusione humani sanguinis sicut sanguisugam" gavisos esse imprudenter fatetur. Adde quod Leo Sapiens testis locuples [5]), Ungaris moris fuisse

1) Magyar. Alterthüm. p. 26.
2) de admin. imp. c. 41.
3) a. 906 (Pertz SS. VI, 591). 4) c. 44.
5) Leonis Tactica ed. Meursius c. 18. § 60. p. 291.

asserit, ut hostes non tam diu persequerentur, donec praeda potiti essent, sed dum prorsus eos delevissent. Nonnulla quoque exempla invenimus, ab iis ad gentes ab ipsis perdomandas legatos esse praemissos, non tamen ut cum iis de jure disceptarent, verum, quod cum eorum calliditate optime convenit, ut quasi speculatores vires illorum et terrae situm explorarent [1]. Ungaris ab initio regionem certis finibus inclusam expugnandam ante oculos obversatam esse et per se est veri dissimillimum et quia usque in XI saeculum termini eorum Germaniam versus admodum variabant, probari nullo modo potest, immo a vero haud longe aberrabimus, si Germanorum fortitudinem solum invictam et christianae fidei vim confinia eorum fixisse judicemus. Si vero quandam expugnandi rationem eos in universo sequutos esse credere volumus, nullam aliam eam fuisse existimandum est, quam ut omnem terram, priusquam eam colere inciperent, ad tantam vocarent vastitatem, ut exiguae veterum incolarum reliquiae, mulieres plerumque ac liberi facile cum ipsis coalescere possent. Itaque scriptor Fuldensis Ungaros a. 901 australem partem regni Moravici „Caruntanum devastando" regionem scilicet finitimam, invasisse refert, quos Pannoniam per complures annos, quoad ea potirentur exspoliasse novimus; neque in qua antea consederunt, terrae inter Tisium et Danubium sitae melius obtigisse, verisimile nobis videtur, in ea Ungarorum gentem hodie purissimam habitare considerantibus [2]. Regis quoque auctoritas valde infirma his temporibus fuerit oportet, cum et potestas quaedam

1) Ann. Fuld. 900, Widukind L. III, c. 44.

2) cfr. Haeufler Versuch einer Sprachenkarte d. oestreich. Monarchie. —

judiciaria penes duos viros, quos Carchân et Gylan nominabant, esset, et septem vel octo singulae gentes ad suum quaeque fluvium sedes habentes ad defensionem tantum patriae se conjungerent [1]), et expeditiones contra finitimos populos a singulis agminibus, quorum ducibus tanta inerat potestas, ut ab hostibus reges esse crederentur [2]), ad libidinem suscipi solerent. Duces belli autem graves de militibus ceperunt poenas, quippe qui timore potius quam amore regerentur et ex multis tribubus conflati ad transfugiendum facile allici possent [3]). Ungaros vero hac aetate humanioris vitae omnino imperitos fuisse ex eo maxime sequitur, quod Leone et Reginone testibus [4]), magnifico vivendi apparatu prorsus contempto, hostibus viriliter resistere solummodo appetebant atque agri culturae rudes in greges et boum et equorum pascendas omnem operam conferebant [5]), praeter quas ex venatu ac latrocinio victus ei suppetebat [6]). Verba paene scriptoribus desunt ad immanem eorum fero-

---

1) Constant. de admin. imp. c 40. *αἱ δὲ ὀγδὼ γενεαὶ τῶν Τούρκων αὗται πρὸς τοὺς οἰκείους ἄρχοντας οὐχ ὑπηκόουσιν, ἀλλ' ὁμόνοιαν ἔχουσιν εἰς τοὺς ποταμοὺς, εἰς οἷον μέρος προβάλλει πόλεμος, συναγωνίζεσθαι μετὰ πάσης φροντίδος τε καὶ σπουδῆς.* Octava gens Cabari fuisse videntur, cum c 38 Constant. dicat: „*καὶ οἱ μὲν Τοῦρκοι γενεαὶ ὑπῆρχον ἑπτα.*".

2) Ann Sangall. maj. a. 902 (Pertz SS. I, 77) „Agareni a Bajoariis ad brandium vocati, ubi rex eorum Chussol occisus est. Liutpr. Antap. II, 61 „quorum (Hungariorum) duo reges Dursac et Bugat amicissimi Berengario fuerant".

3) Leon. Tactic. p. 289 § 47; p. 292 § 67 „*ἐκ φυλῶν συγκείμενον καὶ — διὰ τοῦτο οὐ ποιοῦνται λόγον συγγενῶν καὶ τῆς εἰς ἀλλήλους ὁμονοίας.*

4) ib. § 46; Reg. 889 „Vivunt non hominum sed beluarum more". 5) Leo p. 290 § 52.

6) Reg. 889 venatu ac piscatione victum cottidianum quaeritant.

ciam satis exprimendam [1]) ac cum summa astutia etiam perfidiam conjungebant, quibus nimia pecuniae aviditate victis sancta frangere foedera non erat novum [2]). Pernicitate autem equorum, summa in castris vigilantia, sagittis ex equo velut imbre emissis, insidiis callidissime structis, fuga simulata, ex qua hostibus effuse persequentibus ad aggrediendum denuo transiebant, maxima pugnandi perseverantia omnibus nationibus valde erant formidolosi [3]), urbium modo oppugnandarum artis ignari, quas fame potius capere solebant [4]). Quorum praesenti patriae, quam Romani aliquando Daciam et Pannoniam nominabant, tunc temporis tres praecipue nationes imperasse videntur: montuosis Transsylvaniae regionibus ex Nestoris testimonio Wlachi [5]), veterum Dacorum cum colonis Romanis commixtorum posteri, qui etiamnunc ibi frequenter habitant, partibus occidenti pronis inde a Matra saltu et Danubio fluvio Moravi, terrae inter utrumque populum sitae ex magna parte Bulgari [6]), sicut Oelszlerus et

---

1) Reg. l. l. Carnibus siquidem, ut fama est, crudis vescuntur, sanguinem bibunt, corda hominum quos capiunt particulatim dividentes veluti pro remedio devorant. Luitpr. Ant. I, 13 „Hungarior. gentem, cupidam, audacem, omnipotentis Dei ignaram, scelerum omnium non insciam, caedis et rapinarum solummodo avidam". —

2) Leo § 48 p. 289 „*περίεργα δὲ εἰσι τὰ τῶν Τούρκων φῦλα καὶ κρύπτοντα τὴν βουλὴν αὐτῶν, ἄφιλα δὲ καὶ ἄπιστα ὄντα, καὶ διὰ τῆς ἀπληστιὰς τῶν χρημάτων κρατούμενα, ὅρκου περιφρονοῦσι, μήτε ξυνθήκας φυλάττοντα, μήτε δώροις ἀρκούμενα, ἀλλὰ πρὶν τὸ δοθὲν δέξοντα ἐπιβουλὴν μελετῶσιν καὶ ἀνατροπὴν τῶν συνθηκῶν*".

3) Reg. 889; Ann. Fuld. 900; Leo § 55, 52, 49, 75.

4) Leo § 61. (p. 292.) —

5) Nestor's Chronik ed. Schlözer III, 108, II, 80. —

6) Oelszler über das angebl. Verhaeltniss d. oestl. Graenzprovinz p. 17, Schafarik slav. Alterthüm. II, 175—176.

Schafaricus diversis probarunt argumentis, sub quorum dominatione praeter exiguas Avarorum reliquias complures gentes Slavicae originis modo sui juris modo vicinorum regnorum alicui ad tempus obedientes, has planicies coluisse, verisimillimum est [1]. Unde Nestorem, Ungaros Ugricos montes i. e. Carpatum transgressos [2] a septentrione irrupisse, recte tradidisse existimo, quia regiones inter Danubium et Tisium sitae ob incolarum raritatem deserta Avarica nominatae [3], facillime a cohortibus illis latrocinantibus invadi potuerunt. Quo a. 889 quidem Regino, Katona [4] eum ita explicante, primo Ungaros expeditionem fecisse refert, sed neque abbas Prumiensis harum rerum testis est locuples neque etiam migratio eorum tunc coepisse potest. Etiamtum enim, ut supra ostendimus inter Hierasum et Hypanim fluvios (Sereth et Bug) sedes habuerunt, quas cur commutarent, nulla exstitit causa; quod vero a Dacia iidem, qui paullo post a Pannonia Romam, Constantinopolim, Mediomatricum usque excurrerunt, ad Tisium praedandi causa pervaserint, nemo est, qui miretur. Prima post annum 862 Ungarorum incursio, de qua certiores facti sumus, a. 892 acta est [5], quo „cum expeditione" ad Arnulfum contra Moravos dimicantem venerunt; sine dubio jam antea in regionibus adjacentibus morabantur, cum non credibile esset, eos a propriis sedibus tam loginquis auxilio vocatos esse. Ex verbis annalium Fuldensium, solius hac in re fide digni fontis in dubium venit,

1) Einhardi ann. 824. 2) l. l.

3) Reg. 889 Avarum solitudines. Koenig Alfred I „oestlich vom Kärnther Lande jenseits der Wüste (!) ist die Bulgarei" (ap. Schafarik II, 672). —

4) Katona Hist. critic. primor. Hungariae ducum p. 102. —

5) Ann. Fuld. 892.

utrum Ungari bello inter Francos et Moravos exorto ad suum commodum usi, ultro ut illos adjuvarent i. e. ut hos impune exspoliarent, ad manus accesserint, an a rege nostro legatione invitati. Posteritas tamen, ad quam hujus rei fama obscura emanaverat, illos, quasi bestias cavea inclusas, „difficillimis interpositionibus", quas „clusas" nominaret vulgus, a Germanis separatos, tum ab Arnulfo emissas esse opinata est [1]), eique igitur omnia facinora ab iis perpetrata crimini esse danda. Quapropter usque ad hodiernum diem multi mortales, Liudprando duce [2]), magna regi fecerunt convicia haud considerantes, et Ungaros Pannoniam jam antea exploravisse et unicam solum vertendi causam iis stragem fuisse a Patzinacis et Bulgaris inter eos editam, quam infra exponam. In illa autem fabula de clusis vel de „ingenti vallo" [3]), quo Carolus Magnus Avaros circumcluserit, valde confusam quandam novem munitionum orbiculatarum Avaricarum, quas Franci destruxerunt [4]), memoriam latere censuerim. —

Eodem anno, quo Arnulfus magnam illam contra Moravos expeditionem suscepit, Poppo comes Thuringicus et dux Sorabici limitis „honoribus" i. e. ducatu privatus est [5]), fortasse quia Arnonem, ut contra Slavos proeliaretur exhortatus, non satis adjuverat. Qui, Heinrici Caroli Crassi fortissimi ducis frater a. 880 jam Dalaminziis, Bohemis, Sorabis devictis, a. 892 —

1) Leibnitii ann. imperii II, 133. ann. Sangall. maj. 892 (l. 1) „Arnolfus contra Maravenses pergebat et Agarenos, ubi reclusi erant, dimisit." Palackyus (Gesch. v. Boehm. I. 148) haec verba non recte interpretatus est.

2) Liutpr. Ant. I, 13. 3) Widukind I, 19.

4) Einhardi ann., 796; Mon. Sangall. gesta Karoli M. II, 1.

5) Reg. 892, Ann. Fuld. 892, Ann. Alam. 892.

883 cum Eginone, comite pagi Badanachgowe [1]) acriter sed infelici eventu conflixit [2]). Filiis ejus Adalbrahto et Popponi comitatus in pagis Folcfelda et Tullifelda relicti sunt [3]), dum ducatus ad Conradum Francum transit. Conradorum enim familia, cujus opes repente mirum quantum in Francia accreverunt, Arnulfo, quocum admodum in gratia erat, ejus fortasse ad regnum adipiscendum jam adjutrix, consanguinitatis vinculo nescio an per Otam reginam conjuncta fuit. Opinio tamen Kremeri [4]), qui verisimile ejus stemma proposuit, Otam sororem Conradi senioris fuisse, explodenda est, quia Arnulfus affines [5]) suos, nepotes vocare non potuisset [6]). Ex hac stirpe tunc quattuor exstiterunt fratres, quorum possessiones in Francia occidentali ad Rhenum usque jacebant, Conradus comes [7]) in pagis Hassionum, Angraria (Engersgau), Logengowe (Lahngau), ad quos postea Gozfelda et Wormazfelda additi sunt, Gebehardus comes palatinus [8]) et pagis Wetereibae (Wetterau) et Rhingowe superiori praefectus [9]), Eberhardus comes [10]) in pago Logengowe, Rudolfus [11]) quamvis Reginone teste stultissimus

---

1) cfr. Guden cod. diplom. Moguntiac. I, 345 (Boehmer 1220); Schannat. Tradit. Fuldenses p. 212.

2) Ann. Fuld. 880, 882, 883.

3) Schannat. tradit. Fuld. p. 213, 215, 222 (Boehmer 1209), 228, 231, 235.

4) Kremeri origines Nassoicae, I, 76.

5) cfr. Diplom. ap. Bouquet IX, 365 „rogatu et ammonitione Chonradi dilecti comitis et nepotis nostri."

6) Kremer Orig. Nassoic. II, 38, 43 (Boehmer 1229, 1232). Ludov. filios eorum nepotes nominat, ipsos propinquos.

7) Kremer II, 18, Boehmer 1126, 1191, 1216.

8) Wenck hess. Landesgesch. II, 595.

9) Boehmer, 1228. 10) Boehmer, 1229. 11) Reg., 892.

esset, post Arnonis mortem episcopus Herbipolitanus creatus. Ad illas tantas dignitates potestas quoque missatica post Werinharii obitum in occidentali Franciae parte accessisse videtur [1]). Hujus familiae alia fuit aemula, simili in orientali Franciae tractu potentia praedita, sed regi vel certe filio ejus postea inimica, quae ex Heinrico a. 886 Lutetiae occiso orta erat. Reliquerat enim hic tres filios, comites in pagis Folcfelda, Iphigowe, Grabfelda [2]), medio Moeno adjacentibus, Adalbertum, qui cum Werenhario camerae nuntii munere functus [3]) res fiscales in Francia sitas administravit, Adalhardum, Heinricum [4]). Inter quos fratres et Rudolfum episcopum, Reginone auctore, jam a. 897 discordia exorta est, quae tum secreto serpens post regis mortem sub Ludovico Infante, qui a Conradis plerumque regebatur, maximo regni incommodo in civile bellum erupit. Cujus jurgii causam Regino obscure tantum significans, eos „de nobilitate carnis, de parentum numerosa multitudine, de magnitudine terrae potestatis, ultra quam deceret" se extulisse dicit, qui profecto utrique summae in Francia rerum cupidi quiete agere non potuerunt. Rex autem alteri factioni fautor ea totam provinciam in sua habere potestate conatus est. —

Ducatus Sorabici limitis seu Thuringiae a Conrado per breve tantum temporis spatium administratus et ab eo ultro ignotas ob causas redditus, deinceps

---

1) Wenck hess. Landesgesch. II, 611.

2) Boehmer 1035, 1191. cfr. Dipl. ap. Schannat. Tradit. Fuld. 880 „in pago puchuna dicto, in comitatu filiorum Heinrici comitis, in loco Taftaha."

3) Ekkehard (Pertz SS. II, 83).

4) Reg., 897.

Burchardo comiti traditus est [1]. Quem Wenckius [2]) aliique haud recte Walachonis filium fuisse censuerunt, quamquam inter eos, qui a. 903 Forchheimii in contione generali affuerunt [3]), dux Turingiorum distincte a filio Walachonis itemque Burchardo nominato, discernitur et uterque saepius in chartis occurrit. Habuit autem Walaho ille seu Walo comitatus in pagis Wormazfelda, Spiraggowe, Craichgowe [4]) et abbatis dignitatem in monasterio Hornbacensi [5]), frater ejus Stephanus qui etiam praedia in Wettereiba possedit [6]), fuit comes pagi Calvimontensis [7]). Cum a. 892 Megingaudus comes pagi Meinefeld ab Alberico interemptus esset [8]), quae res magnos in Lotharingia excitasse motus videtur [9]), Stephanus hanc caedem ulturus a. 896 m. Novembr. percussorem illum ipse occidit [10]). Quod eam ob causam eum fecisse, Eckhartus [11]) suspicatus est, quia Burchardus nepos ejus Megingaudi viduam Giselam in matrimonium duxit [12]). Stephanus ipse a. 901 sagitta venenata ex insidiis vulneratus paullo post decessit [13]). —

---

1) Reg., 892. 2) Hess. Landesgesch. II, 544 sqq.

3) Neugart. I, 525 (Boehmer, 1190).

4) Wenck II, 542 not. t.

5) Mon. Boic. XXXI, 160 (Boehmer, 1175).

6) Wenck II, 542 not. s. Nescio an Stephanus comes „in pago Piatahgewe" idem fuit, ac Walonis frater. (Hontheim I, 234, Boehmer, 1154). — 7) Bouquet IX, 365.

8) Reg. 892 cfr. Sigehardi mirac. St Maximini (Pertz SS. IV, 230) cf. de eo Hontheim Histor. Trevirens. I, 226.

9) Flodoard. Hist. Rhem. IV, 3.

10) Reg., 896.

11) Comment. de reb. Franc. orient. II, 772.

12) Mirac. St. Walburgis (AA. SS. ad diem 25 Febr. p. 535)

13) Reg., 901.

Rex ex Moravia reversus Novembri [1]) mense Francofurtum venit, ibique natali quoque Domini celebrato [2]), Rhenum transgressus Februario mense a. 893, Lotharingiae civitates plerasque lustravit [3]) et ab episcopis non solum „ingentia dona" accepit, sed etiam diversa privilegia et possessiones eis concessit, inter quas ecclesiae Tullensi [4]) omnia praedia, antea fisco addicta, restituta sunt. Quod iter non modo „orationis causa", quae est scriptoris Fuldensis opinio, verum potius quia Arnulfus jam tum statuerat Zuentebaldo regnum Lotharingiae parere, ex eo apparere videtur, quod filio „honores" i. e. comitatus Megingaudi illius ex parte tradidit, quibus ad altiorem dignitatis gradum consequendum juvaretur [5]). Ut a priori consilio, ex quo Zuentebaldum post se haeredem imperii Francici instituere voluerat, recederet, graviditate fortasse uxoris legitimae, omnem spem illi ademplurae commotus est. Rege vero ineunte Ratisbonam reverso [6]), in Oriente res magni momenti acciderunt, cujus causas et progressus ex fontibus obscurissime eos significantibus vix divinare licet. Etenim ex progenie Guilelmi illius et Engilscalci, quae annis 882 — 884 fines orientales tantopere perturbaverat, tres etiamtum filii supererant, quorum unus, cui et ipsi Engilscalco nomen inditum erat, ignoto tempore rapta notha regis filia ad Moravos confugerat; postea tamen ante annum 889 in soceri gratiam receptus, marcae orientalis comes est constitutus [7]). Cum autem Aribonem semper

1) Charta ibi data est die 3. Nov. mens. (Boehmer 1098).
2) Ann. Fuld., 892. 3) Reg. 893, Ann. Fuld., 893.
4) Boehmer, 1101. 5) Reg. 893.
6) Carta ibi data est die 23. Junii m. Monum. Boic. XXXI, 143.
7) Ann. Fuld., 893. A. 889 ab Arnulfo data est tabula „per

pagis Traungowe et Grunzwiti praefuisse [1]), chartae doceant, dimidia modo marca ei obtigerit necesse est. „Ibi, dicit auctor annalium Fuldensium, audacter contra primores Bajoariae in rebus sibi summissis agens, judicio eorum, Radisbona urbe incaute palatium regis prolapsus, nec regi praesentatus obcaecatus est." Ex quo concludendum esse videtur, eum non jussu Arnulfi sed odio optimatium Bavariae hanc toleravisse calamitatem. Uxor ejus fortasse eadem filia fuit regis ex Ellinrata concubina suscepta, quae in charta Conradi I regis item Ellinrata appellatur [2]). Engilscalco igitur oculis effossis consobrinus ejus Guilelmus, quia similia certe veritus ad Moravos legatos miserat, majestatis crimine accusatus et capitis damnatus est. Quod deinde frater ejus „cum Maravanis exul dehitiscens insidioso consilio ducis", cui regis Francorum inimici accepti esse debuerunt, cum aliis plerisque neci traditus est, valde mirandum et explicatu difficillimum est. De hujus nomine, quod annales Fuldenses silentio transeunt, Ussermannus [3]) probabilem fecit conjecturam, Ruodpertum, quem scriptor Alamannicus [4]) hoc anno occisum esse refert, eundem esse ac ignotum Guilelmi fratrem. Idem, nisi me fallit ab Arnulfo in charta quadam [5]) „dilectus comes terminalis noster" vocatur, cujus comitatum „in regno Caran-

---

quorumdam procerum nostrorum Engilscalci videlicet et — — interventum" ap. Miraei opp. dipl. I, 650 (Böhmer, 1069).

1) Juvaria, Anh., 118, 117. Mon. Boic. XXVIII, 1, 87 (Boehmer, 1052). 2) Mon. Boic. XXVIII, 1, 147 (Boehmer 1252).

3) Pertz SS. I, 53 n. 3.

4) Ann. Alam. a. 893. Wilhelm occisus, Engilscalch obcecatur. Ruodpertus occiditur.

5) Mon. Boic. XXVIII, 90 (Boehm. 1068).

tano juxta flumen Gurka" situm fuisse ex alia tabula [1]) ante annum 893 data cognoscimus. Omnes autem fundi, quos in utraque Danubii ripa haec familia tam funesto fato exstincta possederat, a rege monasterio Cremisae (Kremsmünster), cui tunc Snelpero abbas praeerat, dono sunt dati [2]). Eodem anno altera contra Moravos expeditio fortasse propter res modo narratas, suscepta, magna parte finium hostis devastata, malum habuit eventum, cum ob insidias a Suatopluco tritas rex „magna cum difficultate itineris" in Bavariam aegre rediret [3]). Videntur enim Moravi hanc plerumque belli gerendi rationem secuti esse, ut ipsi castellis suis firmissimis [4]) tecti Francos, quorum impetum in aperto vix sustinebant, impune terram vastare sinerent, donec propter victus et pabuli inopiam regredientes, facilius in montibus et sylvis insidiis et velitationibus carpi possent. Ad periculosum illum receptum Leibnitius [5]) ea referenda esse putavit, quae ab Arnoldo [6]) scriptore saeculi XI ex vulgi rumore de Arnulfo traduntur, ab angelis contra Moravorum gladios defenso et a Sto Emmeramo ipso, quem" „vitae suae ac regno patronum" elegerat ex pugnae discrimine erepto. —

Rege igitur Ottingam in palatium suum reverso, paullo post Ota conjux ejus ibidem puerum edidit [7]),

1) ap. Kleinmayrn Juvaria Anh. p. 110.

2) Rettenpacher annales Cremifanenses p. 43.

3) Ann. Fuld, 893, Ann. Alem., 893. Arnulfus in Maraha.

4) Epist. Theotmari (a. 900): „illi (Franci) christianum regnum confortaverunt isti (Moravi) latibulis et urbibus occultati fuerunt." (Boczek cod. dipl. Moraviae I, 60) cf. Ann. Fuld., 872.

5) Leibnitz ann. imperii II, 142.

6) de sto. Emmerammo c. 5. (Pertz SS. IV, 551). —

7) Ann. Fuld., 893.

qui Ludovici nomen capiens ab Hattone archiepiscopo Maguntiacensi et Adalperone episcopo Augustensi (887 — 909) baptizatus est. Huic viro, quem ipse post „dilecti magistri" et „studiosissimi nutritoris" nominibus ornat [1]), quia magna ac bene merita tunc temporis valuit auctoritate, ad educandum commissus est [2]). Arnulfus [3]) enim ipse ei „venerabili ac dilectissimo episcopo", quem, inquit „ad omne bonum promptum esse scimus et cognoscimus" admodum favit eique etiam in alia charta [4]) „magni divinae legis amatoris" cognomen imposuit. A Reginone [5]) quoque „nobilis generis magnique ingenii ac prudentiae vir" fuisse traditur, quem „multa tunc temporis sapientia repletum musicaque arte prae caeteris praeditum, gubernacula regni pene omnia cum rege (Ludovico IV) disposuisse" vita Sti. Udalrici [6]), qui ejus fuit discipulus, certiores fimus. Hatto alter spiritualis Ludovici pater [7]), qui a. 888 abbas monasterii Augiensis (Rei-

1) Monum. Boic. XXXI, 1, p. 160, 162. cf. Boehmer No. 1224, 1225.

2) In errore versatur Aventinus (IV, 1. ed. Gundling p. 444), qui Waltonem episcopum Frisingensem ejus fuisse educatorem tradit. —

3) Codex Lauresham. I, 95 (Boehmer 1127).

4) Schannat historia episcopat. Wormatiensis, II, 11. (Boehmer 1130).

5) Reg. a. 887. cfr. Herim. Aug. a. 910. „Adalbero venerabilis et famosus Augustae Vindeliciae episcopus obiit." Regino ei „excellentissimi ingenii, et totius philosophiae studiis multipliciter insignito domno Adalberoni" chronicon suum dedicavit (Pertz SS. I, 543).

6) Pertz SS. IV, 386.

7) Mon. Boic. XXVIII, 1, 108. (Boehmer, 1116) „per interventum Hathonis venerabilis archiepiscopi et carissimi compatris nostri." —

chenau) celeberrimi electus erat [1]) cum Arnulfo jam ab initio regni sui gratus fuit et complures ab eo recepit donationes [2]), tum maxime in ejus venit favorem, cum a. 890 contra Bernhardi sectatores in Alamannia regiam tueretur auctoritatem; quapropter praediis Udalrici ei donatis, rex ipse paullo post coenobium ejus visitavit [3]). Obscuro genere eum natum fuisse, codex quidam Widukindi [4]) interpolatus refert, sed cui fides vix habenda est, quoniam hominibus solum ex nobilibus familiis procreatis tunc ad sedes episcopales ascendere liceret [5]). Hatto autem a. 891 Sundaroldum a Normannis interemptum voluntate Arnulfi [6]) in archiepiscopatu Maguntiacensi subsecutus, postquam eam ob causam abbatis dignitatem deposuit, iterum a monachis iis praefuturus creatus est, „quia prius ipse eos in suis necessitatibus bene procuravit" et rex ejus electionem optavit [7]). Summi igitur pontificis Germaniae officio fungens in partem venit expeditionis Italicae a. 894 factae [8]) et magnam semper ad rem publicam vim habens a. 895 concilio Triburiensi praesedit. Quantam post a Ludovico Infante gratiam inierit [9]), quomodo ab eo et fratribus

---

1) Herim Aug., 888, Abbat. Augiens. catal. (Pertz SS. II, 38) cf. Schönhuths Chronik v. Reichenau p. 73 sqq.

2) Dümgé Reg. Bad. 79, 80. 3) Ann. Fuld., 890.

4) Widukind. I, 22, ed. Pertz p. 24. —

5) Monachi Sangall. gesta Kar. M. I, c. 8. Annal. tamen Fuldensium Pars IV (a. 887) Liutwardum infimo genere natum fuisse tradunt. 6) Ann. Fuld., 891, Reg. 891.

7) Dümgé Reg. Bad. p. 82 „maxime ob nostrum morem quod nobis aptum esse cognoverunt" (verba Arnulfi). —

8) Ann. Fuld. a 894, Boehmer No. 1106, 1107.

9) cfr. Ekkehard (l. l. p. 83) „Hatto — quem cor regis nominabant."

Conradinis paene solummodo, ne intestinis discordiis et exteris bellis Germania in suas diduceretur provincias, impeditum sit [1]), hoc loco non explicandum est. Ab Arnulfo, qui multas ejus interventu dedit chartas [2]) „illustris pontifex" vocatur, quem „in divinis", inquit, et humanis negocis religiosum acutumque agnovimus [3]), scriptor Fuldensis [4]) hominem eum „subtilis ingenii" fuisse testatur. Regino, qui libros duos, quos de synodalibus causis composuit, ei dedicavit [5]) his verbis eum affatur: „locum vestrae celsitudini caelitus commissum dignitate nobilitatis famosis praeconiis extollitis, qui tantus in omni genere philosophiae estis, ut solus nobis repraesentetis hac decrepita aetate ingenia philosophorum, de quibus illa sollers latialis antiquitas gloriata est." Scriptores tamen posteriores, quales Liutprandus [6]) et Widukindus [7]), a quo „acutus consilio, acer ingenio, et qui varietate sibi consueta multos mortales praecederet" fuisse fertur, laudes ejus cum vituperatione quadam conjunxerunt, fabulis in vulgi ore versantibus freti, quae eum non tam sapientem quam astutum et dolosum faciunt [8]). Suorum vel episcopatus sui commodorum in republica gerenda certe non immemor erat, cum permagnos

1) Reg. de causis synodal. ed. Wasserschleben p. 1. „Sciens magnitudinem prudentiae vestrae (i e. Hattonis) non solum — totius provinciae sollicitudinem gerere, verum etiam totius regni utilitatibus pervigili cura insudare."

2) cfr. diplom. ap. Murat. Antiq. II, 163. (Boehmer 1107) „per Attonem st. Magontinae ecclesiae archiepiscopum et dilectum consiliarium nostrum." 3) Dümgé Reg. Bad. p. 82.

4) Ann. Fuld., 891. 5) ed. Wasserschleben p. 1. Praef.

6) Liutpr. Antap. II, 6. 7) Widuk. I, 22.

8) Ekkehard. p. 83, Otto Frising. VI, 15 ed. Urstisius p. 125, Thietmar. L. I, c. 4.

colligeret thesauros et populi rumore duodecim praefuisse abbatiis argueretur [1]). Salomoni, qui solus fortasse inter Germaniae episcopos ingenii magnitudine eum aequavit, „propter animi acutissimam sollertiam" semper amicissimus fuit eumque in honoribus adipiscendis adjuvit [2]).

Non multo post Ludovicum baptizatum ad regem Ratisbonam legati papae et primores Italici regni venerunt, eum ut Italiam a Widonis dominatu liberaret, admonituri [3]). Parum enim Berengario profuerat, quod regi transalpino se subjecerat, cum a. 889 ineunte ab inimico auxiliis denuo ex Gallia arcessitis aucto [4]) ad Trebiam fluvium [5]) fusus fugatusque trans Padum confugere coactus esset. Post haec „bella horribilia cladesque nefandissimas" Italici episcopi [6]), iidem, qui antea a Berengario steterant [7]), inter diem 12. et 21. Februarii mensis [8]) Ticini convenerunt et parum solliciti, uter optimo jure regnaret, dummodo suis magis

1) Ekkehard. p. 83, 88—89.

2) Ekkehard. p. 78, 83, 88.

3) Ann. Fuld., 893.

4) Paneg. Ber. II. 149—150 cfr. I, 115.

5) Paneg. Bereng. II, 125 „Campus erat dudum studio damnatus iniquo" (propter proelium ibi ab Hannibale commissum). Liutpr. Ant. I, 18; 19.

6) Widonis regis electio ap. Pertz Legg. I, 554.

7) ib. p. 555 „Ipsis denique diebus quasi ad certum signum supervenerunt, qui pro hoc regno, ut sibi volentes nolentesque adsentiremus, minis diversis et suasionibus inretitos furtive ac fraudulenter adtraxerunt."

8) Widonem post diem 12. Februarii m. electum esse, probat tabula „regni in Italia a. 1 et die 12 de mense Febr. ind. 8" (i. e. 890) data ap. Tiraboschi storia di Nonantola II, 67. Imperator autem factus est die 21. Febr. 891 „a. regni in Italia, 3." (Boehmer No. 1270, 1271).

inserviret commodis, Widonem decreto, quod ad nostra pervenit tempora regem creaverunt. Itali igitur, sicut caeteri populi lingua Romana rustica utentes tunc a regibus sine jure haereditario electis gubernari coeperunt, qui in cleri benevolentia maxime potestatem posuerunt, dum clerici ipsi eorum auxilio contra parvulos tyrannos, quibus admodum vexabantur, indigent. Quod ex praeceptis, quae sacerdotes Ticini dederunt et ex promissis, quae Wido iis fecit, dilucide apparet. Primo enim, se contra eos „per quos homicidia, sacrilegia, rapine et cetera facinora perpetrata" essent, congregatos esse praefati, ut Romanae ecclesiae dignitas ac decus sustineretur, postulaverunt, tum ut privilegia et possessiones singulorum episcoporum „absque quorumlibet pravorum hominum injusta vexatione" integra permanerent. Quanta tunc latrocinia etiam in Italia exerceri solebant, ex cononibus VI et VII synodi Ticinensis perspicimus, quibus et ministris regiis „sine depraedatione" suo contentis stipendio pacifice agere praeceptum et iis, qui ad placita convenirent ne „pertranseuntes in villis seu civitatibus rapinam" facerent, interdictum est. Johannes IX quoque papa in concilio Romano a. 898 habito [1]) eos poena multavit, qui obeunte Romano pontifice palatium Lateranense diripere solerent, dum „non solum in ipso patriarchio, sed etiam per totam civitatem et suburbana ejus talis bacchatur praesumptio." Praeter quos praedatores domesticos terra item ab exteris afflictata est, et a Graecis Saracenisque, qui damna ei inferre aemulabantur et a militibus Widonis Gallicis mercede conductis, contra quorum vastationes patres iis, a quibus

1) ap. Pertz Legg. I, 562 can. 11.

adjuvabantur excommunicationem minati sunt (can. 8) [1]. Permagni autem momenti est, quod episcopi hominum plebejorum utilitatibus providentes, ut his libere suis legibus uti liceret et omnis injuria propulsaretur caverunt (can. 5). Neque si totam Italiae condicionem illo tempore animo rationeque lustremus, dubitare possumus, quin immunitate multorum locorum et juribus comitum permultis episcopis in suis civitatibus concessis in hac imperii Carolorum parte magis quam in caeteris clerus auctoritate valuerit; quamobrem urbes Italicae a sacerdotibus rectae primae postea libertatem assecutae et contra regum impugnationem tuitae sunt. Widone igitur ita rerum potito, Stephanus VI papa a. 890 Suatopluco duce internuncio usus, fortasse ut haec res magis lateret, ab Arnulfo rogavit [2], ut regnum „a malis christianis et imminentibus paganis ereptum, ad suum opus restringendo dignaretur tenere.“ Qua de re multi, cum idem papa ad Fulconem, se Widonem „unici loco filii“ tenere scripsisset [3], sine justa causa dubitaverunt, non considerantes, et eum Arnulfum quoque „filium nostrum“ vocare [4] et Formosum ejus successorem, dum de Lamberto „patris se curam habere“ omni asseveratione affirmat [5], virum ei inimicissimum in Italiam arcessivisse. Rege nostro autem propter motus Allamannicos papae precibus non obsecuto, hic a. 891, die 21. Februarii m. Widoni [6], cui nullus jam erat adversarius,

1) De iisdem loquitur Wido in legibus a se promulgatis, cap. 1. (Pertz Legg. I, 556).

2) Ann. Fuld., 890. 3) Flodoard. Hist. Rhem. IV, 1.

4) Erhard. Regesta Hist. Westfal. I, cod. diplom. p. 37.

5) Flod. Hist. Rhem. IV, 3.

6) Boehmer, 1270, 1271.

Romae coronam imperialem imposuit. Post complurium igitur saeculorum intercapedinem primo imperator ex Italia oriundus creatus est; sed nec majores ejus Itali fuerunt neque imperium Italicum condere voluit, cui potius regnum Francorum renovare [1]) in animo erat i. e. etiam Galliam si posset in suam ditionem redigere. Ac turbae et vulgo quidem a quoque domino pariter oppresso parvi interfuit, utrum peregrino an civi inserviret, nobiles autem atque episcopi eum semper sequebantur, sive rex cisalpinus sive transalpinus fuit, qui maxima eis fecit promissa et amplissima dedit beneficia, ad alium mox transituri, a quo majora sperari possent, „quia, inquit Liutprandus [2]) semper Italienses geminis uti dominis volunt, quatinus alterum alterius terrore coherceant." Coronam igitur adeptus Wido die 1 mensis Maji Ticini, ubi eum die 14 ejusdem mensis affuisse charta quaedam docet [3]), legibus promulgatis statum regni firmare studuit [4]), dum Berengarius cujus nullae exstant annorum 891 et 892 tabulae Veronae latuisse videtur. Romae interim Stephano Septembri circiter mense decedente [5]), „Formosus episcopus Portuensis [6]) vir morum quidem lau-

1) In bulla plumbea diplomati affixa legitur „Renovatio regni Francorum" v. Murat. Antiquit. Ital. II, 871. Fulco postea Carolo Simplici electo, accusatus est, se id, „causa Widonis fecisse, ut hac arte illum subintroduceret in regnum." Flodoard. Hist. Rhem. IV, 5.

2) Antapod. I. c. 37.

3) Moriondi Monum. Aquensia I, 2. (Boehmer 1272).

4) ap. Pertz Legg. I, 556. Indictio cum a Chr. 889 convenit, Wido autem in edicto illo imperator appellatur; ante annum 891 igitur datum esse non potest.

5) Koepke de vita et scr. Liutpr. p. 198.

6) Fuse de eo disseruit Koepkius l. l. p. 75-80. cfr. Flodoard. Hist. Rhem. IV, 21.

dabilium sed ambitionis stimulis incitatus ab altera populi Romani factione, altera admodum adversante papa creatus est [1]). Qui a. 864, ut Koepkio videbatur ad episcopatum provectus, primo sub Nicolao papa a. 866 [2]) ad Bulgaros fidei christianae praedicandae causa missus est, sed magnam iis persuadendis gloriam assecutus archiepiscopatum eorum, quem appetiverat, a papa non impetravit [3]). Deinde sub Johanne VIII a. 875 legatione apud Carolum Calvum functus [4]), in summum ei venit odium, quia illi inimicus clam cum Ludovico Germanico fecit. Quare a papa argutus, se ipsius pontificatus Romani cupiditate jampridem motum plurimos in suas traxisse partes, episcopatu [5]) et paullo post die 30. Junii m. a. 876 synodo viginti octo episcoporum in ecclesia Sti Petri congregata, sacerdotio privatus est [6]). In Gallia tum ab Hugone abbate receptus, a. 878 coram concilio ab eodem papa Trecis convocato jusjurandum dedit [7]), se „nec orationis causa aliquando Romam venturum, nec aliquo modo sacrum ordinem repetiturum, neque in judicio potentum recuperationis locum oraturum esse;" quem etiam a. 882 Senonibus commorantem inveni-

---

1) Liutpr. Ant. I, 28, 29, Invectiv. in Romam ap. Anastasius Biblioth. ed. Blanchini IV, p. LXX sqq.

2) Hincmar. 866, Flodoard. de Roman. pontific. ap. Murat. SS. RR. Ital. III, 2. p. 317, Anastas. vita Nicolai I, (Murat. SS. RR. It III, 1, 260).

3) ibid.; epist. Joh. VIII, 319 (Mansi XVII, 236).

4) Hincmar, 875, Ann. Fuld., 875. cfr. Koepke l. l. p. 78 adn.

5) cfr. ep. Joh. VIII, 319.

6) Acta synodi sunt in Richteri libello, quo ad novi prorectoris inaugurationem die 10. Sept. a. 1843 invitat, Marburgi p. 5.

7) ibid. p. 8.

mus, quo die 6 Julii m. reliquias st. Columbae virginis transtulit [1]). Johanne VIII tamen eodem anno ab inimicis crudeli morte affecto, Marinus I ejus successor illum a sacramento [2]), quod invitus dixerat, liberatum pristino episcopatui restituit, a quo post ad pontificis maximi dignitatem ascendit. Ab adversariis autem in duas praecipue vituperationes adductus est, et eum contra canones ab altero episcopatu ad alterum ambitiose transiisse, nec jusjurandum illud in synodo datum a Marino tolli potuisse, ideoque quia in excommunicationem illo jurejurando sublatam denuo incurreret, electionem ejus irritam fieri [3]). Formosus igitur, ut dignitatem tantopere impugnatam sibi confirmaret, summam primo erga Widonem imperatorem benevolentiam simulavit ejusque filium adolescentulum Lambertum et ipsum die 27. Febr. mensis diademate imperiali exornavit [4]). —

Rex noster legatione papae Ratisbonae audita, non statim ipse ejus invitationem secutus esse videtur. Etenim cum Muratorius [5]) et Lupus [6]) panegyristae Berengarii testimonio [7]) nisi expeditionem Zuentebaldi

1) Ann. St. Columbae Senon. a. 882 (Pertz SS. I, 103). —

2) Sigeberti Gemblac. Chron. a. 900, Auxilii infensor et defensor ap. Mabillon vetera analecta p. 32.

3) Defenderunt eum contra has accusationes auctor invectivi in Romam (l. l.) et Auxilius Nolanus tribus libellis, quibus tituli sunt: „Super causa et negotio Formosi papae" „De ordinationibus a Formoso papa factis" et „Infensor et Defensor" (ap. Mabillon. l. l. p. 30, 32, 39 sqq.).

4) Chron. Casauriense (Dachery spicileg. II, 939); Flod. Hist. Rhem. IV, 2. Diem computavit Jaffeus regesta pontific. Roman. p. 299.

5) Annali d'Italia, V, 204.

6) Lupi cod. diplom. Bergom. I, 1015.

7) Lib. III, v. 1—46 „Tertia vix Lunae se cornua luce re-

transalpinam, quam etiam Liudprandus commemorat [1]) ad hunc referant annum, Koepkiusque [2]) eorum opinionem annalium Alamannicorum consensu [3]) confirmet, equidem Arnulfum, ut legatis illis satisfaceret, filium, quem mox ipse subsequi voluit, in Italiam praemisisse existimaverim. Si Liudprandum de Berengarii exilio Germanico referentem [4]), sequamur ducem, illo hoc circiter tempore patria cedens cum caeteris primoribus Ratisbonae regem adierit opus est, si vero panegyristam [5]), eum in Italia remanentem Veronae ab inimico obsessum esse, credendum est. Quoquomodo res se habet Zuentebaldus hoc anno cum exercitu Alamannico Alpes transgressus Berengario opem contra Widonem tulit. Qui hostium aciem in aperto haud sustinendam esse ratus, prope Ticinum ad Vernavolam fluvium castra munivit et tandem, diutius sed sine eventu oppugnatus, regis filium argenti multitudine ad redeundum commovit. Koepkius non recte ea, quae Regino [6]) et scriptor Vedastinus [7]) de Berengarii fuga referunt huic tempori assignare voluit, cum illi conventum Tridentinum indicent. Italia igitur hoc modo iterum Widoni relicta, Arnulfus, quod jamdiu in animo volverat, ipse cum manu valida illuc proficisci decrevit et Weibilingae natali Domini die acto [8]), in hieme

---

plerant, Hic (Zuenteb.) laetus postquam patriam concessit ad aulam: En Wido agmen agens" etc. —

1) Ant. I, 20 — 21. 2) l. l. p. 70.

3) Ann. Alam. a. 893. Alamanni in Italiam.

4) Ant. I, 22.

5) III v. 13. Arn. Zuentebaldum affatur: „Tantumne potis perferre dolorem, Nostra ut progenies propria vexetur in aula?" (i. e. Veronae). —

6) Reg 889. 7) Ann. Ved. 888.

8) Ann. Fuld. 894.

asperrima cum Alamannis solis Alpium juga a. 894 transcendit. Tum Veronae susceptus, Berengario comite, contra Widonem perrexit [1]), qui eandem, quam antea neque ineptam belli gerendi rationem secutus, omnem pugnam declinavit atque urbium aditum hostibus prohibere studuit. Ac primum quidem rex ad Bergomum ab Ambrosio comite defensum accedens, priusquam oppidum ipsum obsidione cingeret, castellum prope moenia in loco editiori situm vi cepit ejusque praefectum Gotefridum Gislarii filium, clericum Veronensem interimi jussit. Hanc rem, quam scriptor Fuldensis vix obscure significat, Lupus canonicus Bergomas [2]) duabus tabulis dilucide explanavit. Die sequenti (i. e. 2. m. Febr.) urbs ipsa pari constantia oppugnata ac defensa labe partis cujusdam muri tandem invasa et a Francis neque aetati nec sexui nec dignitati temperantibus direpta est, dum Ambrosius a militibus captus jussu regis ante portam oppidi patibulo suspenditur Quamquam enim scriptor Fuldensis testis sine dubio oculatus, hoc supplicium exercitus furori assignare vult [3]), recte tamen Lupus judicavit, eum, qui de Gotefridi quoque nece sileat adulationis arguendum et Liudprandi [4]), panegyristae Berengarii [5]), imprimis Reginonis [6]) testimonia praeferenda esse. Ambrosii et Gotefridi bona ecclesiae Bergomati donata et Adalberto episcopo ob id ipsum sequenti anno in Germaniam profecto confirmata sunt [7]). Poena vero severa, qua Bergomum affectum erat magnum quidem

1) Ant. I, 23.
2) Lupi cod. diplom. Berg. I, 1017 — 1028.
3) Ann. Fuld. 894.
4) Ant. I, 23.
5) Lib. III, v. 79 sqq.
6) Reg. 894.
7) Boehmer, 1112.

terrorem Italis tum incussit, sed etiam Arnulfum eis magnopere invisum fecit, ita ut vulgus eum pro crudelitatibus ibi peractis postea pediculis corrosum miseram obiisse mortem crederet [1]). Primo post hanc expugnationem Mediolanum et Ticinum, maximae Italiae superioris urbes regis dominatui se subjecerunt [2]); Maginfredus enim comes sacri palatii, illi civitati praepositus, quamvis ad Trebiam cum Widone fecisset [3]) ab eoque „noster fidelissimus comes et consiliarius" vocaretur [4]), nunc partem ejus deserens et derelinquens in Arnulfi se contulit fidem, qui pristinam ei confirmavit dignitatem. Quae Liudprandus hoc loco narrat, Mediolanum Ottoni Saxonum comiti in custodiam esse commissam [5]), cum annalium Fuldensium testimonio pugnant, Alamannos tantum in partem expeditionis Italicae vocatos esse. Ad regem, qui deinde Ticinum iter vertit [6]), marchiones Hildebrandus [7]) ac Gerhardus, quorum marcas plane ignoramus, Bonifacius ejusque frater Adalbertus dux Tusciae venerunt, sed cum nimis arroganter immensis beneficiis donari postularent in custodiam dati sunt. Quibus paullo post libertati redditis, Arnulfus Ticino Placentiam profectus,

1) Liudpr. I, 33, 36.
2) Liudpr. I, 24. 3) Paneg. Bereng. II, 42 sqq.
4) Moriondi Mon. Aquensia I, 2 „quoniam Manfredus, noster fidelissimus comes et consiliarius nostram imploravit clementiam" (Boehmer, 1272); Tiraboschi Modena I, 66 „adiens per Mainfredum comitem sacri palatii serenitatem culminis nostri" (Boehmer, 1274); Giulini memorie di Milano p. 469 (a. 892) „Magnifredus comes palatii et comes ipsius comitati Mediolanensis". ib. p. 472 „Maginfredus, qui fuit comes palatii Arnulfi regis". —
5) Ant. I, 24. 6) Ann. Fuld. 894.
7) A Liudprando (Ant. I, 39) nominatur „Ildeprandus praepotens comes".

judicium ibi exercere jussit, quo lis, quam monasterium Augiense cum ecclesia Sti Ambrosii Mediolanensi habuit, dirimeretur. Postquam enim Lotharius imperator a. 835 huic ecclesiae curtem Lemontam, ad lacum Larium sitam donavit [1]), Augiaeque abbas sex mansos cum illa conjunctos suo coenobio vindicavit, Carolus Crassus jam a. 880 Mediolani, testibus auditis [2]), per missos suos terram illam Sto Ambrosio addixit. Nunc vero [3]) monachi Augienses opportunam occasionem nacti querelas per Hattonem archiepiscopum renovarunt et cum Mediolanenses, „pro ostili persecutione ipsius Arnulfi" nullum advocatum misissent, Maginfredo et Waltone episcopo Frisingensi missis regis judicium facientibus causam obtinuerunt. Postea tamen mense Octobri a. 896 cum Mediolanum in Lamberti ditionem redactum esset mansi illi rursus Sto Ambrosio traditi sunt [4]). Ex charta die 11. Martii m. Placentiae data, quae Italici regni annos exhibet [5]) et ex Chronico Sti Benedicti [6]), regem majora et praecipue imperium Romanum appetivisse plane perspicimus. Attamen morbis inter milites propter famem et coelum insolitum grassantibus [7]) et Adalberto, cujus opes Romam eunti summo impedimento erant, fidem violante [8]), patriam repetendi consilium cepit, Tici-

1) Boehmer, 546, 541. 2) Murat. Antiq. V, 929.

3) Giulini II, 472 cfr. ib. p. 35, 36.

4) Giulini l. l. 5) Boehmer, 1106.

6) Pertz SS. III, 202 „cupiens pertingere Romam".

7) Chron. St. Bened. l. l. „fame et intemperie aeris compulsus"; Ann. Fuld. 894, quorum verba „propter nimiam longitudinem itineris languescente (i. e. aegrotante) exercitu" Gfrörerus (Gesch. d. ost- u. westfr. Karol. T. II) non recte interpretatus est. —

8) cfr. Lupi cod. dipl. Berg. I, 1047.

numque reversus [1]) civium seditionem, magna strage edita repressit. Liudprando, viam Veronensem regi prohibitam fuisse tradenti, fides minime adjungenda est, quoniam et haec urbs Berengario tum obtemperaret et hic profecto nondum defecisset. Deinde Arnulfus Burgundiam versus pergens Rudolfum, qui ignotam ob causam pacis cum eo factae oblitus, cum Widone foedus icerat, debellare conatus est. Anscharius, marchio Eporediensis, quem Wido et Lambertus a. 892 et 896 in duabus chartis [2]) strenuissimum et dilectissimum comitem appellant, oppidum suum, apud quod rex die 17. Apr. m. moratus est [3]), praesidio et Italico et Burgundico defendens, hostes via recta interclusos summa cum difficultate itineris per calles invios in vallem Augustinam (Val d'Aosta) descendere coëgit [4]). Arnulfus igitur super montem Jovis Agaunum perveniens, omni terra inter illum et Jurum prorsus devastata, quia cum Rudolfo manus conserere non potuit, in patriam reversus est, Kirchheimii regina ei occurrente. —

Tum mense Junio ineunte contionem generalem Borbetomagi congregavit ibique in res Franciae occidentalis valde perturbatas disponendas operam denuo contulit. Illa enim factio, quae aliquando Widonem elegerat ac praesertim Fulco archiepiscopus, invite tantum imperium Odonis tolerans anno tandem 892.

---

1) Liudpr. Ant. I, 35.

2) Tiraboschi Nonantola II, 85. Dipl. Widonis (a. 892) „interventu — Anscherii itemque strenuissimi marchionis"; Monum. Histor. Patriae, Chartar. Tom. I, p. 87. Dipl. Lamberti „dilectissimus marchio noster atque fidelissimus comes Anscharius" (a. 896).

3) Boehmer, 1107.

4) Ann. Fuld. 894, Liudpr. I, 35, Reg. 894. —

Carolo tredecim annos nato coronam imponere statuit ideoque regem suum ut exercitum contra Aquitanos nondum subactos moveret, persuasit [1]). Qui dum fratrum Ramnulfi altero Ebulo interfecto alterum Gozbertum obsidet [2]), Fulco, plerisque Francorum Rhemis convenientibus, die 28. Januarii mensis [3]) a. 893 Carolum corona regali exornavit. Festis autem paschae diebus (8. April.) actis, archiepiscopo Rhemensi et Heriberto comiti Veromanduorum regis consobrino cum Carolo [4]) contra Odonem profectis, ab altera parte Richardus Burgundiae dux, Guilelmus Aquitanorum et Hademarus Pictaviensis comes [5]) cum exercitu obvios se dederunt sed, quia Odo pacem conciliare maluit, nullum proelium commiserunt. Interea Formosus papa, ad quem Fulco statim epistolam de praesenti rerum Gallicarum condicione miserat, utrique parti ab armis discederent imperavit [6]), donec archiepiscopus ille Romam itinere facto suum ipsius ea de re judicium accepisset. Tempore messis vero Odo, aemulo e Francia expulso, Rhemensem civitatem urgere coepit [7]) posteaque ea a Carolo Septembri mense ab oppugnatione liberata, usque ad pascha sequentis anni inducias cum hostibus fecit. Arnulfus indignatus, quod

---

1) Ann. Ved., 892.

2) Reg., 892, Ann. Ved. 893, Richer. I, 12.

3) Boehmer p. 178 cfr. Bouquet IX, 530, 536 (Boehm. 1953, 1957). 4) Ann. Ved., 893.

5) cfr. Chron. Richardi Pictaviensis (Bouquet IX, 21).

6) Flodoard. Hist. Rhem. IV, 3.

7) Ann. Ved., 893. Fulco scripsit Formoso papae (Flodoard. l. l.) h. a. „quod Odo civitatem Remensem obsederit, innumeras etiam caedes et depraedationes exercuerit, — donec Carolus cum valido exercitus apparatu adveniens eum ab obsessa civitate depelleret."

Odone, quem ipse confirmaverat, de regno dejecto, Carolus contra voluntatem suam creatus erat, quamvis papa Fulconis precibus motus eum ut Caroli orbitati subveniret adhortatus esset, eadem fortasse epistola, qua in Italiam eum invitaverat, nonnulla ecclesiae Rhemensis possessiones occupavit, qua archiepiscopum poena multaret [1]). Quare Fulco eodem anno sed incerto tempore litteris ad regem nostrum datis [2]) se ei de Caroli electione excusavit, quem „hoc more regem factum ipsius fidelitati et consilio committere voluerint, ut ipsius adjutorio et consilio uteretur in omnibus, et ejus subderetur tam rex, quam universum regnum praeceptis et ordinationibus." Refutavit porro rumores, quos nonnulli sedulo sparserant, se Caroli creatione praetexta modo Widoni regnum parere voluisse atque illum non legitimum Ludovici Balbi filium esse sed puerum quendam suppositum, et Arnulfi pro eo benevolentiam captare studuit, qui jure rerum potitus esset. Cum enim, ait, „ille tantum princeps et hic parvus propinquus suus Carolus de tota regali stirpe remanserint, perpendat quid contingere possit, si eum debitus cunctis casus repoposcerit: cum tot jam alieni a stirpe existant, et adhuc sint plures, qui sibi regium nomen affectent." Post pascha anni 894 (31. Mart.) bello rursus exardescente, Odo Rhemos vallo fossaque circumveniens Carolum ibi morantem ut ad Arnulfum confugeret compulit [3]). Qui Borbetomagum in procerum conventum veniens, magnis muneribus datis, regis gratiam sibi conciliavit „regnumque quod usurpaverat ex ejus manu percepit [4])." Contra

---

1) Flod. l. l. 2) Flod. IV, 5.
3) Ann. Ved., 894. 4) Reg. 893, Ann. Fuld., 894.

Fulconis voluntatem igitur homagium ei reddidisse videtur. —

Tunc Arnaldo quoque Tullensi episcopo, quem antea offenderat Arnulfus, ut eum sibi reconciliaret [1]) magnifice satisfecit. Namque ille pontifex exercitui ex Italia redeunti Constantiae jam obviam factus vehementer de Gerardo et Matfrido fratribus, quorum comitatus in pago Blesiaco (Bliesgau) fortasse siti erant [2]), et Stephano comite [3]) conquestus erat, quod rapinis et incendiis magnum ecclesiae Tullensi inferentes damnum praeterea monasteria St. Mauricii et St. Apri hereditate sibi obtigisse injuste affirmassent et Dagoberti regis privilegio contempto „infra quatuor leucas ab urbe" castellum communivissent. Pro quibus maximis injuriis comites illi, jussu regis, canibus per milliare unum ab oppido Borbetomago usque ad pedes Arnaldi contumeliose portatis, multam septingentarum librarum argenti persolverunt et regiae ditioni se suaque dedentes, privilegia civitatis Tullensis, quae Arnulfus denuo confirmavit, se in futurum servaturos esse juraverunt. Etiamsi in eodem conventu rex compluria alia quoque clero Lotharingico privilegia dedit [4]), optimates ejus provinciae, cui Zuentebaldum pater praeficere voluit, minime ut ei se subjicerent persuaderi potuerunt [5]). Consilio igitur in tem-

1) Bouquet IX, 367 cfr. Eckhart II. 752. 2) Reg., 906.

3) In verba diplomatis n. 1. laudati: „comes Stephanus et Gerardus frater suus et Matfridus" vitium irrepsisse, verisimile est, quia Regino, Gerardum et Matfridum fratres fuisse dicit, de Stephano, quem saepius cum illis pariter commemorat, non idem referens. Alberici potius frater, qui cum Hugone quondam fecit, fuisse videtur. (Reg., 883). — 4) Boehmer 1108, 1109.

5) Reg., 894 „minime optimates — ea vice assensum praebuerunt." —

pus magis idoneum dilato rex filium cum exercitu Alamannico contra Rudolfum misit [1], qui montium jugis satis munitus hostes, cum nullum proelium committere neque eum assequi possent, re infecta reverti coëgit. Frustra quoque Arnulfus eodem tempore Laureshamii [2] (Lorsch) Ludovico Bosonis filio, Ermengarda matre deprecante, civitates nonnullas Rudolfi cum adjacentibus pagis, easdem fortasse, quas ipse antea Ludovico eripuerat, dono dedit, quia eae expugnari nullo modo poterant. —

Dum Zuentebaldus igitur sine eventu contra Burgundiones dimicat, pater ejus spiritualis, quo nullius hominis mors regi certe acceptior fuit, patriae suae splendorem quasi secum auferens fato occubuit [3]. Quum a Liudprando solo, historiae Moravicae satis inscio, tributarius factus esse ferretur [4], Leibnitius [5]) eum integris rebus atque invictum decessisse, recte cognovit. Neque immerito Palackyus eum maximum hujus aetatis virum fuisse existimavit, cum regnum ab eo conditum fundamentum imperii futuri esse videretur, quod omnes gentes Slavicas, in quarum medio positum erat complexum, fide christiana litterisque Romanis instituturum et ab exterorum dominatione prorsus liberaturum esset; quae magnifica spes Ungaris irrumpentibus ad irritum cecidit neque usque ad nostra tempora unquam rediit. Magni autem illius Suatopluci memoria in vulgi ore conservata in proverbium sermone tritum transiit [6]. Quae de ejus moribus litteris prodita ad nostram venerunt notitiam, per-

1) Ann. Fuld., 894. 2) Reg., 894.
3) Ann. Fuld., 894, Ann. Alam., 894, Reg., 894.
4) Antap. I, 13. 5) Ann. Imper. II, 146.
6) Palacky Gesch. v. Boehm. I. p. 135.

pauca sunt, et id maxime nos docent, eum prudentia et calliditate sua, quae neque a malis artibus ad consilia exsequenda se abstinuit [1]), inimicis ejus maximam semper movisse admirationem [2]) ideoque a Constantino „*ἀνδρεῖος καὶ φοβερὸς εἰς τὰ πλησιάζοντα αὐτῷ ἔθνη*" fuisse traditur [3]). Neque enim contumeliis fides est adjicienda, quae in eum scriptor Fuldensis, iniquus dignitatis ejus judex [4]) vel auctor vitae Sti Clementis [5]) vehemens et summi odii plenus jecerunt, cum utrique ut gloriae ejus obtrectarent, propositum esset. Mirari tamen licet, quod Moraviae dux, qui tantas contra Francos susceperat inimicitias, homines ex iis oriundos magna amplexus est gratia, utpote qui et milites Germanicos conduceret [6]) et Johanne presbytero Venetiano ad pacem cum rege nostro componendam [7]) et legationem Romanam administrandam [8]) uteretur et Wichingum Alamannum tam gratiosum haberet consiliarium, ut is Methodii Slavorum apostoli discipulos eosdemque ex parte magna Sla-

---

1) Ann. Fuld., 870. 2) Reg., 894.

3) Const. de adm. imp., c. 41.

4) s. a. 884, „Zuentibaldus — plenum doli et astuciae cerebrum", a. 894 Z. „vagina tocius perfidiae, cum omnes regiones sibi affines dolo et astucia perturbando, humanum sanguinem siciens circumiret."

5) ed. Miclosich p. 8. „(Suatop.) *ἀνδράποδον ἡδονῶν γυναικείων ὢν καὶ τῷ βορβόρῳ τῶν μυσαρῶν ἐγκυλιόμενος πράξεων*"; p. 15. „*ἦν γὰρ παντάπασι γνῶναί τι τῶν θείων ἠλιθιώτατος, ἅμα μὲν ὡς ἀνηγμένος βαρβαρικώτερον καὶ συνόλως εἰπεῖν ἀλογώτερον ἅμα δὲ καὶ τὸν νοῦν ὑπὸ τῆς μιαρᾶς ἡδονῆς παρασεσυλημένος*" etc. 6) ib. p. 19. 7) Ann. Fuld., 874.

8) Epist. Joh. VIII (194) „Zuentapu de Maravna" (i. e. Suatopluco) inscripta (Boczek cod. dipl. Mor. I, 40) cfr. epp. 184, 189. (Mansi XVII, 125, 128).

vos expellere auderet [1]). Duae de Suatopluci regis morte narrationes eaeque valde contrariae memoriae proditae sunt, altera a scriptore Fuldensi [2]), altera a Constantino Porphyrogenito [3]). Atque ille quidem admodum iratus, eum „ultimum hortando suos, ne pacis amatores, sed potius inimici domesticis persisterent" e vita excessisse dicit, quae admonitio, nisi „domesticos" illos Francos interpretari volumus, hac ratione data nec Moravici ducis moribus consentanea neque omnino verisimilis est. Scriptor autem Byzantinus narrat, patrem morientem, notissimam illam fabulam agendo, tribus filiis tres sarmentorum fasces dedisse, qui cum conjuncti frangi non potuissent, tum singuli valde fuissent fragiles, ut hoc exemplo eos praecipue concordiam servare doceret. Sed cum tota haec narratio, plus quam quinquaginta annos post has res conscripta, caeteris de duobus modo filiis loquentibus poeticam quandam speciem prae se ferat, huic quoque fidem abrogare malim. Ex scriptoribus posteris varias de Suatopluci fine tradentibus fabulas, hoc loco praecipue Cosmas Pragensis laudandus est [4]), qui eum subito ex medio exercitu elapsum, in monte Zobor prope Nitram solitarium vitam posuisse dicit. Cui prorsus carmina Ungarorum popularia repugnant, quorum vestigia Keza [5]) et Thuroczius [6]) conservaverunt, cum in iis, illum ab Arpadio devictum et fugae se dantem in Danubio fluvio demersum esse fingatur. Filii igitur Suatopluci, qui Moymiri et Suatopluci [7])

1) Vita St. Clement. p. 11 — 19. 2) Ann. Fuld., 894.
3) de adm. imp., 41. 4) Pertz SS. IX, 44.
5) Endlicher Monum. rer. Ungar. p. 101.
6) Schwandtner SS. rer. Hungar. p. 82.
7) Ann. Fuld., 899, 901.

nomina repererant, regno inter se diviso, auctumni tempore pacem cum Francis fecerunt, cujus condiciones plane ignoramus [1]. —

Arnulfo per hiemen Ratisbonae commorante, ubi etiam Anastasius Graeci imperatoris legatus ad eum venit, in Bavaria ipsa, quam inprimis quasi patriam diligebat, seditio contra eum concita est. Potentissimo enim hujus provinciae comite Engildeone, qui aeque ac Ernestus sub Ludovico Germanico duobus comitatibus in pagis Donaugowe superiori et Nordgowe praefectus marcam quoque Bohemicam administraverat [2], honoribus i. e. muneribus suis privato, Hildigardis pariter Ludovici III filia [3] „contra fidelitatem regis agere accusata" in monasterio puellarum in insula lacus Chiemsee constructo inclusa est [4]. Omnibus possessionibus ei [5] „cum consilio et judicio Francorum, Bawariorum, Saxonum atque Alamannorum" legitime ademptis, complures terrae, „quas injuste et fraude ingenii invaserat", Megengozo, Erchanboldi episcopi Eichstaedtensis vasso redditae sunt. Quaenam hujus conspirationis causa et consilium fuerit, in testium inopia definiri nequit. Cum autem Engildeo et Hildigardis in charta Arnulfi tamquam socii et ejusdem facinoris participes

1) Ann. Fuld., a. 894.

2) Mon. Boic. XXVIII, 1, 89 „in pago Nordgowe vocato in comitatu sui senioris (Engildeonis). Anamodus (ap. Pez Thesaur. Anecdot. I, 3, 280) „in pago Vuestarmannomarcha nuncupato — in comitatu Engildeonis." (Haec erat pars pagi Nordgowe). Mon Boic. XXVIII, 63 „in pago Tuonogewe, in comitatu E." Ann Fuld. 895 „Engildieo, marchensis Bajoariorum". cfr. Buchner Gesch. v. Baiern, II, 119.

3) Ann. Fuld., 895.

4) Reg., 895, Ann. Alam. 895 „Hildigart exiliata."

5) Mon. Boic. XXXI, 1, 146 (Boehmer, 1113). —

nominentur, Buchnerus [1]) aliique opinati sunt, eos conjugii vel verte concubinatus vinculo connexos fuisse filiamque regis quondam Bavariae marito vel amatori paternum regnum comparare voluisse. Cui conjecturae id refragari videtur, quod Hildigardis, quam Regino [2]) innocentem fuisse credidit, non multo post in gratiam regis recepta, in bona sua ex majori parte restituta est, dum nullam amplius Engildeonis mentionem scriptores inferunt. Comitatus enim, qui huic ablati erant, Liutboldo Arnulfi consanguineo traditi sunt [3]), cui aut tunc aut jam antea post Roudberti mortem etiam Carinthia obtigit [4]). Multarum ac variarum, quae de origine hujus viri, qui atavus stirpis Wittelsbachicae habetur, filio ejus primo ducatum Bavariae accipiente, a viris doctis propositae sunt, pleraeque a duabus opinionibus proficiscuntur. Etenim altera pars, a qua Buchnerus [5]) stat, eum Engildeonis et Hildigardis filium ideoque regis nepotem et dignitatum patris haeredem fuisse conjecit, miraculorum Stae Walburgis [6]) solo testimonio nisa, ex quibus Hildigardis a. 896 Liutboldo comitante orandi gratia in monasterium Monheim iter fecit. Quam veri dissimile sit; Arnulfum filio ejus, qui contra se conspirationem

1) Gesch. v. Baiern II, 124.

2) Reg., 895 „a quibusdam ad Arnulfum accusata."

3) Ann. Fuld. 895. cfr. Monum. Boic. XXVIII, 127 „in pago Nordgewi in comitatu Liutpoldi"; XXXI, 165 „in pago Westarmann in comitatu Liutpoldi." (Boehmer 1189, 1181).

4) Boehmer 1118, 1139, 1140 (a. 895, 898).

5) Bair. Gesch. II, 124.

6) IV, 1. Acta SS. ad diem 25. Febr. m. p. 589. „Accidit praeterea quodam tempore, ut Hildegarda domina, pacifici regis Ludovici filia, orationis gratia cum Luitpoldo famosissimo comite ad jamdictum monasterium (Monheim) deveniret." —

facere tentaverat, easdem et majores quam paternas opes tradidisse, neminem effugere potest. Qui alteram sententiam, ex qua Liutboldus [1]) nepos fuerit illius Ernesti Carolomanni soceri, prae se tulerunt, in hoc errore versantur, quod filiam ejus Arnulfi matrem fuisse credunt. Equidem id tantum pro explorato habeo, Liutboldum Liutswindae nobilissimae feminae, cujus ignoramus originem, aut nepotem aut consobrinum ideoque ex Carinthia oriundum, regi filio ejus a puero familiarem fuisse. Praeter regiones, quas supra diximus, eum etiam in pago Solanzgowe pagi Nordgowe parte comitatum habuisse, charta quaedam docet [2]), eundem marcae quoque orientali praefuisse sicut omnes fere scriptores recentiores pro certo habent nusquam expressis verbis dicitur neque ex marchionis cognomine, quod in marcam Bohemorum [3]) referri potest, necessario consequitur, a veri tamen similitudine non abhorret. Conjectura, quam Hormayrus [4]) fecit, Liutboldum et Aribonem fuisse fratres adeo omni argumento caret, ut, quod ab aliis historicis sine examine probata sit, valde mirer. —

Mense Majo ejusdem anni (895) ineunte [5]) rex cum magna nobilium, episcoporum, abbatum caterva Triburiae in villa regia conventum habuit [6]) „quatinus infatigabili perseverantia divina et humana tractaren-

---

1) Hormayr's Herzog Liutpold. p. 98 — 100.

2) Ried cod. dipl. episcopatus Ratisbon. I, 79. (a. 930) „in pago Solanzgowe in comitatu Liutpoldi." —

3) cfr. Neugart I, 525 (Boehmer, 1190) „Liutpolt dux Boemanorum" (i. e. limitis Bohemici; a. 903). —

4) Herzog Luitpold. p. 91.

5) Chartas rex Triburiae dedit die 7, 8, 14 Maji m. (Boehmer, 1113 — 1115). 6) Pertz Legg. I, 559.

tur, atque emergentia mala comprimerentur, ut eo liberius sancta Dei ecclesia suo potiretur honore." Synodus igitur totius ecclesiae, cujus ad nos pervenerunt acta integra [1]), ibi convenit et a jejunio per triduum instituto, litaniis, precibus initium cepit. „Quo peracto", dicitur in praefatione orationi prosae versus immiscente, (rex) „pergens ad palatium,

regale sedit solium,
indutus veste splendidissima,
quam texuit sapientia,
repletus est prudentia,
erectus est potentia,
pro sua magnitudine,
stipatus multitudine,

tractans practice de statu regni et theorice de ordine et stabilitate ecclesiae Christi,

et qualiter boni quiete viverent
et male inulte non peccarent.

Interim episcoporum sacer conventus in basilica praedictae villae, post communes orationes et preces finitas,

honorificentissime infulati,
pontificalibus sedibus suffulti,
mentibus serenati,
prudentia praediti

sacrosanctum ingressi sunt synodale colloquium." Leopoldus Rankius [2]) hoc prooemium animo contemplatus, Arnulfum antea ab optimatibus sine cleri consensu eoque non consulto electum, nunc demum quasi pacto quodam ab eo probatum esse censuit. Sed quamquam episcopi Caroli Crassi magis fautores, in nullam

---

1) Mansi XVIII, p. 129 sqq.
2) Deutsche Gesch. im Zeitalter d. Reformat. I, 14.

vel exiguam regis creandi venissent partem, creato tamen, simulac res confecta est, sicut concilium Maguntiacense docet, se statim subjecerunt, et quem non elegerant, ad suam saltem voluntatem bonis praeceptis regere conati sunt; complures eorum etiam magnam ad Arnulfum vim habuerunt. Haec tamen opinio a vero non multum abhorrere videtur, regem synodo convocata desideriis cleri obsecutum, in eo foedus contra procerum arrogantiam cum illo iniisse, cum haec magis magisque accrescens paullo ante Engildeonis conspiratione admodum periculosam se exhibuisset. Quapropter missa celebrata, patres „secretis palatinis" interfuerunt, iidemque postea in consilium adhibiti sunt [1]), quando Arnulfus papae morem gesturus secundo cum exercitu in Italiam ivit. Synodus ergo, Reginone teste [2]), „contra plerosque seculares, qui auctoritatem episcopalem imminuere tentabant", congregata, multis edictis ecclesiae securitatem atque integritatem undique in discrimen adductam restituere studuit; ad quod inceptum ut promptum sibi afferret adjumentum pontifices regem, „gnaros et idoneos mediatores" ad eum mittentes, precibus petiverunt. Qui inter caetera, quibus votis eorum libenti animo assentiebatur, haec eis respondit: „Habetis me omnibus ecclesiae Christi adversantibus, et vestro sacerdotali ministerio renitentibus oppositissimum bellatorem." Quibus promissionibus freti patres primo preces „pro unitate tam cleri quam populi" miserunt, tunc presbytero, quem laicus quidam excoecaverat, in medium producto, „perpendentes lamentationem Jeremiae impleri, aurum obscurari, lapides sanctuarii ab hostibus

1) Ann. Fuld., 895. 2) Reg., 895.

destrui et iterum in membris suis Christum crucifigi", Arnulfum „pium ecclesiarum defensorem" appellaverunt, qui tale eis reddidit responsum: „Nos igitur, quibus regni cura et solicitudo ecclesiarum Christi commissa est, aliter regnum et imperium jure ecclesiastico regere et gubernare non possumus, nisi hos, qui ecclesiam Christi, non habentem, ut apostolus ait, maculam neque rugam, conturbant, zelo fidei persequamur." Deinde omnibus comitibus imperavit, ut eos, qui excommunicati poenitentiam non agerent, in suum deducerent judicium atque ut impune eos, si repugnare auderent, interficere liceret. Quo decreto animo sacerdotibus accedente, magnas contra omnes, qui in ecclesiam maleficia admitterent, poenas promulgaverunt, lege sancientes, ut clerico vulnerato multa episcopo judicante persolveretur (can. IV, XX); pro clerico sponte interempto, poenitentia ageretur, per omnem vitam duratura (c. V); ut, qui inventus esset „corrupisse bannum ab episcopo impositum", castigatione ecclesiastica quadraginta dierum afficeretur (c. VIII). Eos autem, qui res ecclesiarum rapuissent, hac poena multarunt, ut triplum eorum pretium reddere cogerentur, vehementer in eos his verbis invecti: „Tranquillitatem Stae Dei ecclesiae inquietari, et pacem fraternam infestari, testantur fures et latrones, qui ambulant inter nos ovina pelle obumbrati, sed lupina mente recedunt alienati, res ecclesiarum, saeva mente adducti, rapientes et gregem dominicam spoliando lacerantes — judicamus, ut si quis — inventus fuerit furtum aut rapinam exercere, in ipso diabolico actu mortem mereatur incurrere; nullus pro eo praesumat orare, aut eleemosynam dare et eleemosyna pro eo data, in memoriam clericorum nec pauperum

veniat sed execrabilis sordescat" (c. VII, XXXI). Alia praecepta pro augenda auctoritate episcopali data sunt; quam tum, etsi a multis viris potentibus contemnebatur, majorem tamen, quam Caroli Magni temporibus fuisse, ex eo quoque elucet, quod rex, qui ipse Triburiae aderat, in partem decretorum faciendorum, sicut aliquando antecessores ejus, non venit, sed patres libere deliberari sivit. Nec mirandum est, quod episcopi ab Arnulfo, a quo revera eligi solebant [1], multis privilegiis et bonis eis concessis, majorem, quam optimates inierunt gratiam, cum horum opera regnum adeptus esset, illi „non ab homine neque per hominem, sed per ipsum Dominum eum esse electum" docerent [2]. Statuit igitur synodus, ut si episcopus et comes conventum populi eodem tempore imperassent, omnes homines illum non hunc sequerentur, ac comes ipse in contione adesset (can. IX); ne comites diebus festis vel dominicis judicia aut concilia plebis indicerent neve eos, qui poenitentiam ecclesiasticam agerent, ad ea venire cogerent (c. XXXV); ut si laici et presbyteri in contentione essent, episcopi judicarentur (c. XXI); ne hominibus „libertate notabilibus" (i. e. nobilibus), si in populi suspicionem cecidissent, crimina jurejurando purgare liceret, sed ut „aut episcopo vel suo misso discutiente, per ignem candenti ferro" examinarentur (c. XXII); ne servus ad episcopalem proveheretur sedem (c. XXIX); ne in ulla ecclesia aut constituerentur aut expellerentur presbyteri, episcopis non consultis vel non consentientibus

---

1) cfr. Diplom. Arn. ap. Dümgé Reg. Bad., 82 „nos Hathonem — salubri fidelium nostrorum consultu Magontiae civitatis archiepiscopum fieri censuimus." 2) Pertz Legg. I, 559.

(c. XXXII). Memoratu etiam digna sunt verba, quibus de oboedientia papae debita sententiam suam patres aperiunt: „In memoriam sti Petri apostoli, honoremus sanctam Romanam et apostolicam sedem, ut quae nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat magistra ecclesiasticae rationis. Quare servanda est cum mansuetudine humilitas, ut licet vix ferendum ab illa sancta sede imponatur jugum, conferamus et pia devotione toleremus" (c. XXX): Longum est neque ad propositum nostrum nobis necessarium, omnia ea exponere decreta synodalia, Triburiae facta, quibus disciplina clericorum et monachorum restitueretur et in laicos delicta committentes animadverteretur, cum haec non tam ad historiam politicam quam ecclesiasticam spectent. Subscripserunt autem edictis concilii Triburiensis, in quo Regino viginti sex, scriptor Fuldensis viginti septem episcopos interfuisse dicit, Hattone, Herimanno, Ratbodo archiepiscopis praesidentibus, viginti duo episcopi totius Germaniae ac Lotharingiae —

Eodem loco controversia inter Adalgarium Hamburgensem et Herimannum Coloniensem archiepiscopos jamdiu agitata, patrum judicio disceptata est. Etenim cum archiepiscopatu Hamburgensi a Sto Anscario primum administrato, synodo a. 847 Maguntiaci habita episcopatus Bremensis archiepiscopo Agrippinensi subjectus ac tunc pastore vacuus, conjunctus erat, unde augerentur illi res etiamtumvalde exiles [1]). Cui decreto Guntharius archiepiscopus Coloniensis a. 857 in concilio coram Ludovico et Lothario regibus Borbetomagi congregato diu acriter repugnans [2]), postremo se tum assensurum esse promisit, cum papa id ratum

1) Vita St. Anscarii c. 22 (Pertz SS. II, 706).
2) ib. c. 23. (p. 707).

habuerit. Deinde Nicolaus I, ut primum Anscarii legatus ac Salomon I episcopus Constantiensis ad eum venerunt, de hac re consulturi, conjunctione illa solemniter confirmata, edixit [1], ut „nullus archiepiscopus Coloniensis ullam sibi deinceps in eadem dioecesi (Bremensi) vindicaret potestatem." Dum ex hoc privilegio post Rimbertum, Anscarii successorem, Adalgarius utramque ecclesiam pariter regit, Herimannus [2] cum quinque episcopis sibi suffraganeis litteris ad Stephanum VI datis ab eo postulavit, ut ecclesia Bremensis in suam redigeretur ditionem. Qui a. 890, cum etiam Adalgarius se cum eo conquestus esset, utrumque pontificem jussit aut ipsum Romam venire aut legatos mittere, ut causa eorum satis inquisita ipse arbiter litis existeret. Quam invitationem secutus licet archiepiscopus Hamburgensis Romae adesset et multas de privilegiis ecclesiae suae violatis in adversarium querimonias jactaret, quia Herimannus defuit, res ad finem perduci non potuit [3]. Quocirca papa Fulconi Rhemensi [4]) mandavit, ut die 15. Aug. m. a. 892 Borbetomagi cum Sunderoldo archiepiscopo Maguntiacensi ejusque suffraganeis atque utrisque pontificibus inter se decertantibus conveniens in vicem ipsius diligenti quaestione causam eorum examinaret. De quo mandato postquam Fulco, Stephano mortuo Formosum certiorem fecit [5], hic a. 892 statuit [6], ut „in competenti loco" Augusto mense ejusdem anni synodus

1) Lappenberg hamburg. Urkundenbuch. I, 21.
2) ib. p. 777.
3) ib. p. 778. Epist. Stephani Herimanno data „quia veniente Adalgario — ipse venire distulisti."
4) Flodoard. Hist. Rhem. IV, 1. 5) ibd.
6) Lappenberg I, 779.

celebraretur, quae, praesidente Hattone archiepiscopo, de episcopatu Bremensi judicium exerceret, deinde uterque adversarius ipse Romam iter conferret. Episcopi igitur illi Francofurti convenientes, cum Adalgarius ibi adesse nollet, Bremensem ecclesiam Agrippinensis semper suffraganeam fuisse cognoverunt atque hoc papae epistola indicaverunt. Hic, cui ex voluntate ejus Herimannus solum legatos miserat, utrique se decrevisse scripsit [1]), ut „quousque — Hamburgensis ecclesia infra paganorum terminos dilatari valeret, ubi episcopia fundari possent, Bremensem ecclesiam teneret ad subsidium —, cum augmentata fuisset, Coloniensis ecclesia sua reciperet". Herimannus hoc judicio, ut videtur, nondum satis contentus, querelas in synodo Triburiensi renovavit, ubi, postquam Widgerus ab Adelino, quocum armis de jure archiepiscopi Hamburgensis decrevit, devictus est, cum consensu Formosi et Arnulfi regis privilegia quondam ecclesiae Hamburgensi concessa, sublata sunt, atque Adalgarius ipse „in cauda concilii positus est" [2]). Sergius III papa postea a. circiter 905 ei episcopatum Bremensem integrum restituit [3]), Hattone et Herimanno aliquamdiu „pro satisfactione penitentiae" divino officio prohibitis. —

Arnulfus mense Majo exeunte Borbetomagum profectus, Odonem et Carolum pro suo quemque principatu dimicantes in rem praesentem venire jussit, ut suo arbitrio contentionem eorum sedaret. Carolum [4]) enim anno praecedente in regnum redeuntem, regis jussu episcopi et comites Franciae superioris circa

---

1) Lappenberg p. 780, 34. 2) Adam. Brem. I, 41.
3) Lappenberg I, 36. 4) Ann. Ved., 894, Reg., 893.

Mosam sitae adjutores secuti, cum Odonem super Axonam fluvium cum exercitu sibi praestolantem cernerent, re infecta ob secretam, ut dicebantur, erga illum amicitiam in patriam regressi sunt. A quibus derelictus dum Carolus ad Richardum Burgundiae ducem confugit, adversarius eum non assecutus Lutetiam se recepit, quo remoto ille iterum Franciae parte invasa ejus sociis magna importat detrimenta, „sicque alternatim ex utraque parte multi pereunt, ingens malitia, innumerabiles rapinae et assiduae praedae fiunt." Querelae interim eorum, qui cum Carolo fecerunt, quod Odo ipsis bona omnia, quae in Francia haberent, adimeret, ad Arnulfi usque aures pervenerunt, qui legatis missis utrique ut ad se veniret praecepit [1]), „quatenus tantae calamitatis malum inter eos finiret." Quod imperium Odo celeriter exsecutus, cum muneribus regi Borbetomagi occurrit [2]), qui eum fortasse ob hanc obedientiam competitori praeferens, honorifice recepit atque in regno denuo confirmavit. Carolus vero a suis ne proficisceretur persuasus, Fulconem et Adalongum comitem legatos misit [3]), ex quibus Odoni redeunti obviam procedentibus hic, impetu facto interfectus est, ille semiustus evasit. — In eadem illa contione Borbetomagensi Arnulfus, quod jamdudum exoptaverat, tandem adeptus, Zuentebaldo filio, Odone praesente cum communi consensu regis Lotharingiae ac Burgundiae superioris diadema imposuit [4]);

---

1) Ann. Ved., 895. 2) Reg. 895, Ann. Fuld. 895.

3) Herim. Aug. a. 895 eum ipsum non multo post advenisse, non recte tradit.

4) Ann. Fuld., 895. Reg., 895. Boehmerus hoc die 11. Maji mens. factum esse, conjecit, sed post 14. ejusdem acciderit necesse est, cum hoc die Arnulfus etiamtunc Triburiae commoratus sit

ad quas terras etiam pagum Alamannicum Brisgowe ideoque Alsatiam quoque additos esse, charta quadam [1]) comprobatur. Rex igitur dum filio maxime dilecto principatum comparat, pariter speravit, se et Lothariorum invite cum Francis orientalibus conjunctorum animos sibi conciliaturum esse, et Rudolfum hucusque invictum facilius superatum iri. Sed maximis profecto difficultatibus dominatio implicita erat, quam Zuentebaldus vir ingenio fervido et temerario suscepit, cum regni Lotbarici condicio, quod tum Ripuariam quoque complectens ab incolis partim Gallicis partim Germanicis habitabatur, ob frequentes Normannorum vastationes et seditionem, quam Hugo nuper ab agminibus latrocinantibus [2]) adjutus concitaverat prioresque motus ac regum vices, propius ad eam Franciae occidentalis accederet et proceribus, qui plerisque abbatiis potiti erant, magna ac regiae auctoritati periculosa esset potestas. Lotharii autem [3]) „gens varia erat et artibus assueti, bellis prompta mobilisque ad rerum novitates", de cujus astutia multa exempla in vulgi ore versabantur [4]). Arnulfi filius vix imperium assecutus, cum ei a Caroli sectatoribus, si

---

(Boehmer, 1115). Quocum charta 11. Maji mens a. 898 a. III regni Zuentebaldi data convenit (Lacomblet I, 43, Boehmer, 1167), licet alia die 13. Maji m. a. 898 data perperam quartum Zuentebaldi regis annum exhibeat (Hontheim I, 287, Boehm. 1168). Inter dies igitur 15. et 30. Maji mens. ille rex factus est. (Boehmer, 1115 — 1150).

1) Dipl. ap. Bouquet IX, 376 (Boehmer 1155) Zuentebaldus Engilfrido abbati St. Gregorii in Alsatia privilegia ac possessiones cum Alsaticas tum in Brischgewe villam, quae vocatur Wizzilistat confirmat. cfr. Stälin wirtemb. Gesch. I, 264.

2) Reg., 883. 3) Widukind, I, 30.

4) Widukind I, 30, II. 23, 27 — 28.

opem iis ferret pars Franciae promitteretur, hac occasione cupide arrepta, cum exercitu Galliae fines intravit et Odone trans Sequanam se recipiente [1]), cum Carolo Laudunum obsidione clausit. Auxilium se ferre, ab illo modo praetextum esse, ut proprium regnum quam maxime amplificaret, rei eventu paullo post apparuit. Balduinus enim comes Cameracensis et Rudolfus ejus frater ac Reginarius comes Hainoënsis et Hasbacensis [2]), filius, si Eckarti probabili conjecturae [3]) fides est habenda, Gisalberti comitis Mansuariorum [4]) ac filiae Lotharii imperatoris [5]), Carolo deserto, Zuentebaldo se subjecerunt, qui eum cum suis „ut fertur, privare vita cogitabat" [6]). Caroli socii his rebus exterriti, amicis majorem quam inimici timorem ipsis injicientibus ad Odonem legatos miserunt, qui ab eo partem quandam Franciae et inducias rogarent. Quibus concessis et Odonis copiis appropinquantibus, Zuentebaldus, qui cum civitatem Laudunensem capere non potuisset, inducias cum Didone episcopo ejus fecerat, celeriter receptui cecinit. Utrique autem aemuli usque ad colloquium post pascha sequentis anni habendum pacem agitare statuerunt. Itaque a. 896 diversa convenerunt concilia ad pacem tandem aliquando componendam, sed omnia, nonnullis optimati-

1) Ann. Ved. 895, Reg. 895. Abbo de bello Paris II v. 577—579 „Sermo, quis effari poterit, quotiens fuga celsi Arnulfi induperatoris genitum tulit ense Odonis Cendebaldum post terga tonante". —

2) Dudo de moribus et actis Normann. II (ap. Duchesnius histor. Normannor. SS. p. 74).

3) Comment. de reb. Franc. orient. II, 396.

4) Nithard III, 2 (i. e. pagi Masagowe).

5) Rudolfi ann. Fuld., 846, 847.

6) Ann. Ved., 895.

bus, quibus bellum intestinum placuit, maxime efficientibus ad irritum redacta sunt [1]). Interea eorum, qui a Carolo steterant numerus, permultis ad Odonem bello superiorem transeuntibus, indies magis deminutus est, ita ut ipse Rhemorum archiepiscopus, cujus civitas sola in fide ejus permanserat, „licet invitus" regi non legitimo se dederet. A quo administro alias fidissimo derelictus Carolus in regnum Zuentebaldi refugit, in tantam consilii inopiam redactus, ut Fulcone admodum dissuadente [2]), cum Normannis acerrimis Franciae hostibus, qui tunc usque ad Mosam progressi ad Sequanam castra muniverant, foedus inire cuperet, et die paschae uni eorum Hunedeo pater spiritualis (Pathe) existeret [3]). Zuentebaldus interea a pristinis consiliis nondum recedens, rebus ecclesiae Rhemensis suis ministris attributis, Fulconi vias, ne a. 896 Septembri m. ad synodum Romanam iter faceret, prohibuit [4]). Quam rem ille cum papa (Stephano VII) magnopere questus, ejus „tyrannidem apostolica auctoritate reprimi" jussit. De his magnis angustiis cogitans Abbo dicit [5]): „Subsidium Karoli, virtus, spes, hic in Odonem." Qui cum per internuncios pars regni aemulo concedenda ab eo expeteretur, misericordia motus et majora pollicitus, ei tantum, „quantum sibi visum fuit" a. 897 tradidit [6]). Nec multo post in castro, cui Ferae nomen erat, ad Isam amnem moratus in gravem morbum delapsus est atque ibidem Kal. Jan. a. 898 exspiravit, vir fortis et qui ob mentem

---

1) Ann. Ved., 896.
2) Flodoard IV, 5.
3) Ann. Ved., 897.
4) Flodoard IV, 4.
5) de bello Parisiaco II, 580 (Pertz SS. II, 801).
6) Ann. Ved., 897. Flod. IV, 4.

piam et generosam meliorem meruit sortem [1]. Quo in abbatia St. Dionysii humato, omnes Franci Carolo, quem ille ipse moriens successorem commendaverat homagium reddiderunt; inter quos etiam Robertus frater Odonis, Richardus dux, Guilelmus comes Pictaviensis fuerunt. Fuit autem hic rex, cui Simplicis cognomen inditum est, avo suo ejusdem nominis ambitione par, animi debilitate superior et quamdiu regnavit, optimatibus ludibrio. Qualis infelicis Galliae condicio sub eo fuerit, Richerus [2]) his verbis indicat: „Ob cujus infantiam cum regnorum principes nimia rerum cupidine sese praeire contenderent, quisque ut poterat, rem dilatabat. Nemo regis provectum, nemo regni tutelam quaerebat. Aliena adquirere summum cuique erat; nec rem suam provehere videbatur, qui alieni aliquid non addebat. Unde et omnium concordia, in summam discordiam relapsa est. Hinc direptiones, hinc incendia, hinc rerum pervasiones exarsere." —

Arnulfus interea mense Junio circiter anni 895 Borbetomago in curtem regiam Salz profectus, Obodritorum legatis sui conveniendi potestate data, precibus eorum assensus est [3]. Quo facto mense Julio medio Ratisbonam totius populi comitia convocavit, ibique duces Bohemorum, jamdiu a Francorum imperio, cui ex Caroli Magni temporibus opinione magis hominum quam certa deditione annumerabatur [4], separati, Arnulfi dominatui „per manus, prout mos est"

1) Reg., 898, Ann. Ved., 898. 2) I, 4.

3) Ann. Fuld., 895.

4) Divisio imperii a. 817 facta (Pertz Legg. I, 198) „Hludowicus volumus ut habeat Bajoariam, et Carentanos, et Beheimos."

se subjecerunt [1]). Palackyus, Schaffaricus aliique, qui his de rebus disseruerunt, haud satis consideraverunt, scriptores Fuldenses de compluribus semper Bohemiae ducibus loqui solere [2]), quibuscum a. 873 item pax convenerat [3]), ideoque duces illos, Premysli posteros a Cosma Pragensi memoriae proditos non toti provinciae imperare potuisse. Fuerunt potius tunc modo primi inter pares ac postea demum, fortasse Ungarorum irruptionibus usi, caeteros principes in suam redegerunt ditionem, simili ratione, qua Heinricus Saxo Germaniae duces. Borivoius ex stirpe illa procreatus, qui primo cum uxore Ludmilla fidem christianam Methodio magistro confessus esse fertur [4]), a. 895 jam mortuus erat, sed filios duos Spitignevum et Vratislavum reliquerat [5]), qui auctores ad Arnulfum deficiendi fuisse videntur. Hoc igitur modo Bohemia, quae antea magnum Sualopluco attulerat adjumentum, regno Francorum orientalium adjecta, gravem Moraviae regulis plagam intulit, et cujus non erat remedium. —

Eodem circiter tempore, quo haec gesta sunt, legati Formosi papae iterum regem adeuntes, enixe ab eo, ut in Italiam illi opitulaturus pergeret, petiverunt [6]). Widone enim, cujus ultima tabula mense Aprili a. 894 signata est [7]), post Arnulfi discessum sanguinis vomitu

1) Ann. Fuld., 895.

2) Ann. Fuld., 845, 871, 872, 895, 897.

3) Ann. Fuld., 874: Hincmar, 873.

4) Ann. Prag. a. 894, Cosmae chron. Boemor. I, 10, 14 (Pertz SS. IX, 39, 44).

5) Ann. Fuld. 895, Cosmas, c. 15.

6) Ann. Fuld. 895, Liudpr. Ant. I, 28 „Formosus nutu et hortatu Romam rex Arnulfus advenerat".

7) Boehmer, 1281.

ad Tarum flumen (Taro ap. Parma) e vita decedente [1]. factio ejus Lambertum adolescentulum, ab Ageltruda matre, [2]) filia Adelgisi Beneventani principis, sorore Ajonis et Radelgisi praecipue rectum, secuta est, Berengario pariter in Italia superiori, Mediolani quoque et Ticini regalem sibi arrogante potestatem [3]. Formosus vero, quamvis cum Germaniae rege facere voluisset, in vicinia Spoleti Lamberti opibus adeo fuit circumventus, ut in epistola ad Fulconem data facere non potuit [4], quin assereret „se cum ipso tantam pacis et dilectionis habere concordiam, ut nequirent aliqua jam ab invicem pravitate sejungi". Ob quas res Francorum imperio tam periculosas, Arnulfus, cum et cum Moravis pacem haberet et filius Lotharingiae ac Galliae consuleret, Alpes iterum transcendendi consilium iniit. Die 29 Sept. mens. etiamtum Ottingae moratus [5], sequenti jam mense cum exercitu ex Francia atque Alamannia collecto [6], majori ergo sine dubio, quam ille, quem in priori expeditione secum duxerat, in Italiam profectus est ac Kal. Decembr. Ticini affuit [7]. Scriptore Fuldensi de iis, quae usque ad hunc diem acciderunt tacente, Herimannus Augiensis [8], auctor quidem posterior, sed qui haec ex an-

---

1) Liudpr. I, 37, Ann. Fuld., 894, Chron. St. Bened. (Pertz SS. III, 202), Leo Ostiens. I, 61. Paneg. Bereng. III, 176 sqq.

2) Chron. St. Bened. p. 204, Boehmer 1270, 1271, 1280, 1281, 1284, 1307 cfr. Antiquitat. Beneventan. (Romae 1754) p. 474, ab erroribus non vacuas. Inde dicitur Ajo (*'Εγίων*) a Theophanis continuatore (Lib. VI) „*γαμβρὸς τοῦ ῥηγὸς Φραγγίας*". —

3) Boehmer, 1298, 1299. 4) Flodoard Hist. Rhem. IV, 3.

5) Dipl. ap. Boczek cod. dipl. Morav. I, 53 (Boehmer, 1118).

6) Ann. Fuld., 895.

7) Dipl. ap. Murat. Antiq. III, 51 (Boehm. 1119).

8) Herim. Chron a. 895.

nalium Alamannicorum continuatione aequali hausisse videtur [1]), certiores nos facit. Ex cujus narratione Arnulfus „Berengarium perterritum ad deditionem venientem, regnumque pervasum Italiae reddentem" suscepit, quocum optime convenit, quod annales Fuldenses eum solum vertere coactum esse significant [2]). Itaque Italiam superiorem hoc modo receptam, rex in duas provincias Addua divisas ita distribuit, ut occidentali Maginfredus [3]), de quo supra jam diximus, orientali Waltfredus vassi ejus ditione amplificata praeessent. Hic enim vir, quem ab anno 877 comitatum Veronensem strenue administrasse chartae docent [4]), licet Berengarius, cui ad Trebiam cum 3000 armatis subsidio venit [5]), marcam Forojuliensem ei tradidisset [6]) atque eum „summi consiliarii ac dilecti fidelis" loco teneret [7]), nunc tamen subito ad Arnulfum transiit. Italia autem cispadana pacata, rex Padum transgressus Placentiam pervenit, ubi Angilberga imperatrix consanguinea ejus, tunc abbatissa monasterii St. Sixti et St. Fabiani, ut sibi in festis St. Martinae diebus mercatum habere liceret, rogavit [8]); cujus voti postea

1) cfr. Pertz SS. V, 69. 2) a. 896.

3) cfr. Lupi cod. dipl. Berg. I, 1050.

4) Hymnus pro Adelardo episcopo Veron. (ap. Baronium ed. Lucens T. XV. p. 480) „Fletque Walfredum comitem Verona, Cum suburbanis viculisque cunctis, Quod lupis saevis pateant et ipsi Ense repulso". Subscripsit jam a. 876 electioni Caroli Calvi (Boehmer 1789) cfr. Boehm. 909, 923, 925; Murat. Antiq. I, 435.

5) Paneg. Bereng. II, 73.

6) Jam a. 888 „illuster marchio" ab eo appellatur, Murat. Antiq. VI, 345 (Boehmer 1389).

7) Boehmer, 1292, 1294.

8) Campi Historia di Piacenza I, 476 Dipl. Arn. „Dum ad limina bb. apostol. Petri et Pauli reverteremus et Placentiam ad

Romae compos facta est. Contra Adalbertum Tusciae ducem, jam pridem Francorum adversarium, qui foedus cum Lamberto icerat [1]), deinde rex fines vastando exercitum diduxit, ut ab utraque parte eum circumveniret ac, dum ipse cum Alamannis Apenninis montibus transcensis per Turrim curtem (Pontremoli) Lunam ad mare sitam progreditur, Francos per Bononiam Florentiam in urbem iter facere jussit. Cum rex Lunae natali domini die acto, per Tusciam pergeret, hostibus antiquam belli gerendi rationem sequentibus, sine omni proelio itineris difficultate, pestilentia, quae equorum loco bubus clitellas imponere milites coëgit, coeli tempestate Germanos atterere in animo fuit. Berengarius interea in Italiam clam reversus et ipse cum Adalberto amicitia juncta, adversariorum numerum auxit. Chartae duae die 4. Martii et die 30. Apr. mens. datae, quas Boehmerus in hunc annum collocavit [2]), magnam Koepkio moverunt dubitationem [3]), cum ex iis, Berengarium Veronae, quam scriptore Fuldensi teste, Waltfredus usque ad mortem „multum fideliter ad imperatorem contendendo retinuit", regiam exercuisse potestatem, eluceret. Sed altera earum, Lupo testante [4]), qui ejus autographum a Margarinio negligenter descriptum examinavit, in annum 915 cadit, alteram [5]) ex notis chronologicis eodem jure et anno 895 et 897 assignare licet, in quorum neutro cum iis

---

monasterium st. resurrectionis atque bb. martyrum Sixti et Fabiani constructum diverteremus, nostram adiit munificentiam Angilberga abbatissa ipsius monasterii" etc. (Boehm. 1120).

1) Ann. Fuld. 896, Herim. Chron. 896.

2) No. 1300, 1301. 3) de Liudprando p. 74 — 75.

4) Cod. diplom. Bergom., 1053.

5) Murat. Antiq. Ital. V, 755.

pugnat, quae a scriptoribus rerum traduntur. Germani inopia laborantes et a reditu paene interclusi, cum Ageltrudam Roma potitam esse audirent, summum in discrimen adducti sunt. In qua fortunae dimicatione, postquam Arnulfus consilio cum militibus ante urbem habito eam post tres dies expugnare constituit, „Dei nutu contentione inter obsidentes et obsessos subito exorta", exercitus iratus ultro civitatem Leoninam repentino impetu cepit, nullius hominis detrimentum passus, qua occupata ea quoque pars, quae sinistrae Tiberis ripae adjacebat, haud diutius restitit [1]). Romanorum, qui magna ex parte sine dubio regi nostro favebant, defensionem non fortissimam fuisse, Berengarii panegyristes testari videtur [2]), cum eos timore ductos sua sponte hostibus portas aperuisse dicat: Liudprandes vero lepidam refert narratiunculam [3]) de lepusculo ad urbem expugnandam duce praeeunte, qua maxime veteri fortitudini Romanorum tunc ignavia insignium irridetur [4]), sellis clitellisque coacervatis moenia ascensa esse, adjiciens. Cujus rei ex vulgari rumore haustae etiam Benedictus monachus coenobii St. Andreae in monte Soracte conditi, saeculo X exeunte, his verbis [5]) mentionem infert: „Civitas Leoniana — capta fuistis a Sarracenis et alieni-

1) Ann. Fuld. 896, Liudpr. I, 27, Reg, 896, Ann. Alam. 896.

2) III, 141 sqq. Jam quia parta sibi speculantur nigra quirites, Undique dissutis reserant penetralibus urbem, Admittuntque duces veneranda ad delubra mites". —

3) l. l. cfr. Koepke de Liudpr. p. 73.

4) Liud. I, 26. „His torta studium pingues captare siluros Cannabe, non clipeos manibus gestare micantes" cfr. Legatio c. 12.

5) Pertz SS. III, 714 c. 30.

gene gentis; verum etiam a Bajuariorum gens Galliarum, et a rege, cui nomen erat Arnulfus, ferunt namque quod a sellis caballorum fuisset appreensa". Papa ab omni metu liberatus, cum Ageltruda cum suis Spoletum se clanculum recepisset, regem Francorum jam diu exoptatum, quem primores civitatis ad pontem Milvium magnis honoribus exceperunt, in ecclesia St. Petri corona et titulo imperiali ornavit. Deinde populus Romanus, sicut inter utrumque ejus dominum convenerat, novo imperatori, salvo papae officio et jure, se fidem conservaturum nec Lamberto vel matri ejus opem laturum esse, jusjurandum dedit. Cum de die hujus solemnitatis scriptores nihil certi referant, Pertzius eum 18. April. mens. fuisse recte mihi conjecisse [1]) videtur, ideoque urbem die 17. Apr. m. captam et die 2. Maji a rege relictam esse admodum verisimile est, si eum mense Majo jam in Bavariam reversum esse perpendimus. Quindecim enim tantummodo dies Romae moratus, unde complurium sanctarum ossibus secum ablatis [2]), cum iis postea capellam St. Jacobi et Pancratii Rotingae contructam donavit, Constantino et Stephano utroque senatore ob conspirationem cum Ageltruda factam in exilium Bavaricum missis, civitatem Faroldo custodiendam tradidit. Quae Liudprandus [3]) hoc loco narrat, regem

1) Pertz Legg. I, 561 cfr. Boehm. p. 109. Si traditioni Otheratae (Neugart. I, 510) „IX Kal. Maji a. Arnulfi regis IX, imperii II" datae fides habenda esset, quin ille die 18. Apr. m. coronatus esset, jam dubitari nequiret.

2) Mon. Boic. XXVIII, 1, 113 „in honore et veneratione st. Jacobi apost. et st. Pancratii sanctarumque quasi a Roma nobiscum in istam patriam deferimus" (Boehm., 1123). —

3) Antap. I, 28.

„suo ingressu ulciscendo papae injuriam, multos Romanorum principes obviam sibi properantes decollari" jussisse, annalium Fuldensium silentio satis redarguuntur. Arnulfus igitur hucusque honoribus semper auctus neque ulla difficultate impeditus, gloriae cumulum coronam magni Caroli adeptus erat, sed ab hoc die sicut sidus verticem cursus sui transgressum magis magisque usque ad interitum delabitur, funesto fato oppressus, omni spe falsus est et nimis celeri morti occubuit, imperii ruinam jamjam imminentem haud amplius prohibiturus. Summo tamen aeternae urbis expugnatio decori ei inter aequales esse debuit, qui Alarici, Genserici, Totilae immemores, primo eam, postquam a Brenno eversa sit, tunc a Francorum rege captam esse opinati sunt [1]). Roma igitur in ditionem suum redacta, imperator mense Majo ineunte Spoletum versus pergens, ut Ageltrudam obsidione in ordinem cogeret, [2]) paralysi tanto capitis dolore subito affectus est, ut illi eodem mense per vallem Tridentinam Bavaria repetenda esset nec priorem corporis sanitatem unquam recuperare posset. Tam mirae autem hae repentinae fortunae vicissitudines Italis [3]) visae sunt, ut veneni potu Widonis viduam inimico hoc malum inflixisse fingerent. —

1) Reg. 896 „Quod retro ante seculis ideo inauditum, quia non factum fuit, excepto quod Galli Senones cum Brennone duce multo ante nativitatem Christi tempore semel fecerunt". —

2) Ann. Fuld., 896, Reg. 896.

3) Liud. I, 32.

Cap. III.

Arnulfus imperator (896 – 899).

Priusquam res, quae dein in Germania gestae sunt, persequamur, universam rerum Italicarum mutationem exponamus necesse est. Etenim Lambertus, quem Liudprandus „elegantem juvenem, adhuc ephoebum nimisque bellicosum" fuisse tradit [1]), regem aegrotum tam parum veritus, ut jam die 4. Maji mensis rursus Ticini resideret [2]), inde ad Mediolanum oppugnandum accessit, quod non solum Arnulfo fidem servaverat, verum etiam depopulationibus magnum hostibus damnum intulerat [3]). Ratolfus imperatoris filius natu minor ex concubina susceptus, quem is, „ad fidem Italicae gentis" et ad subsidium Maginfredi in urbe illa reliquerat, prae timore Lamberti non multo post patrem per Larium lacum ex Italia decessit [4]), hanc viam minus tritam [5]) certe eam ob causam ingressus, quia Berengarii vires Tridentinam intercluserant. Quamdiu Maginfredus, qui nullum veniae locum habuit, exercitui hostili restiterit, certo definiri nequit; cum autem Octobri mense primo ejus successor Amedeus comes sacri palatii nobis occurrat [6]), ante hoc tempus civitatem expugnatam esse, neque illum per quinquennium, quae est Liudprandi sententia, sed per triennium tantum illi perduellem exstitisse manifestum

1) Ant. I, 37. 2) Boehmer, 1284.
3) Liud. I, 38. 4) Ann. Fuld., 896.
5) Viam ingressus est per Spelugam montem et civitatem Curiensem. — 6) Giulini memor. di Milano II, 472.

est. Ipso a victore capitis damnato, filio et genero ejus oculi effossi sunt [1]). Quae dum geruntur Berengarius Veronam adortus, post mortem demum Waltfredi fortissimi propugnatoris eam capere potuit, cui Anselmum comitem [2]), marcae vero Forojuliensi Grimaldum [3]) praefecit. Deinde Ticini [4]) cum Lamberto colloquutus, cui imperium reliquae Italiae cessit, ab eo terram cis Adduam sitam, quam Waltfredus tenuerat, regendam recepit. Licet Guilinius [5]) hoc foedus paullo post Arnulfi reditum factum esse existimaret, Lupo [6]) tamen ex annalium Fuldensium narrandi ordine rectius eo postea status possidendi confirmatus, esse videbatur. Romae brevi postea Formosus papa obiit; quem cum duabus chartis inter diem 1. Maji [7]) m. et 11. Junii mensis [8]) e vita decessisse constat, scriptor Fuldensis autem alias in tempore definiendo accuratissimus, id die St. paschae (i. e. 4. April) accidisse dicat, Jaffeus [9]) hoc loco emendato probabilem fecit conjecturam, eum die pentecostes, i. e. 23. Maji mensis mortuum esse. Illum per quindecim modo dies Bonifacius secutus est [10]), qui podagrico morbo periit [11]), eumque Stephanus VII vehementissimus fac-

---

1) Ann. Fuld. 896, Liudpr. I, 38, Chronic. Novalic. Append. c. 13., Paneg. Bereng. II, 47. Jubet tandem Lamberticus horror Praecipuum truncare. gl. Magenifredum significat.

2) Boehmer, 1331, 1341, 1345. 3) ib., 1358, 1368, 1369.

4) Ann. Fuld., 896, Pan. Bereng. III, 235 sqq.

5) Mem. di Milano II, 44. 6) Cod. dipl. Berg. I, 1057.

7) Boehmer, 1121. 8) Koepke de Liudprando p. 164.

9) Reg. pontif. Romanor. p. 301.

10) Ann. Fuld. 896, Flodoard de Rom. pontif. (Murat. SS. R. H. III, 2, 318).

11) In errore versatur Liudprandus (I, 30), qui eum expulsum esse, indicat. —

tionis Germanicae inimicus, qui tamen in charta die 20. Augusti mens. [1]) Arnulfi imperatoris annos etiamtum computavit. Italia autem superiori a dominatione externa liberata, Romae quoque papa, cum odium haud amplius continere posset, facinus et antea et post inauditum, tam absurdum quam horribile commisit. Postquam Ageltruda cum Lamberto et Widone duce Spoletino propinquo ejus in urbem advenit [2]), „paucis posthinc diebus elapsis" Stephanus synodum congregavit, Formosi cadaver e tumulo extractum laicoque amictu indutum, diacono mortui personam agente, injuste dignitatem papalem sibi arrogasse convicit, tum ferro duobus dexterae digitis amputatis, quamvis plebs Romana „Parcite sepulto" saepissime vociferaretur [3]), eum per crura tractum in Tiberim conjici jussit [4]). Pariter eo anathematizato, omnia acta ejus rescissa, omnes consecrationes irritae factae sunt. Quam rem, etsi scriptor Fuldensis [5]) et Alamannicus et Herimannus [6]) eam sub anno 896 narrant, Jaffeus tamen testimonio invectivi in Romam [7]) urbem, a teste, ut videtur, oculato conscripti nisus, novem mensibus post ejus mortem i. e. Februario anni 897 accidisse putavit. Nec multo post mense Julio exeunte populus Romanus, miraculis Formosi cadaveri afflictis stimula-

1) Bouquet IX, 204. 2) Chron. St. Bened. l. l. p. 204.

3) Auxilii libell. super causa et negotio Formosi papae l. l. p. 30. 4) Chron. St. Bened. l. l., Liudpr. I, 30, Sigeb. Gemblac., 900, Flodoard de Rom. pont. l. l., Concil. Roman. (a. 898) can. 1 — 3, 9. Auxilii Defens. et Infens. c. 30. 5) a. 896.

6) Herim. Chron. 896. „Formosum papam VIII post obitum mense effossum"

7) ap. Anastas. Biblioth. ed. Blanchini T. IV p. LXX „jam post novem menses marcidum et pene in pulvere redactum." cfr. Jaffé Reg. p. 303.

tus [1]), seditione facta, Stephanum in vincula conjecit ac mox in carcere strangulavit [2]). Tunc in pontificatu Romanus per non plenos quattuor menses successit [3]) ac post eum Theodorus II Novembri circiter mense a. 897, qui ad dissidium ecclesiae componendum synodo omnes clericos a Stephano remotos in pristinas dignitates restituit Formosique cadaver tumulo reddidit [4]). Quo post dies viginti mortuo, factione adversa Sergius presbyter, cui Adalbertus Tusciae dux imprimis fautor erat [5]), in sedem apostolicam electus paucis mensibus post, Junio circa a. 898 Johanni IX cedere coactus est [6]). Qui statim synodo Romana congregata [7]), omnia Stephani acta rescidit, sceleris in Formosum admissi ministros poenis ecclesiasticis punivit, ejusque memoriam in pristinum restituit honorem. Adeo tamen regis Francorum in Italia auctoritas imminuta vel potius sublata erat, ut idem papa, quamvis res a Formoso gestas probaret, „unctionem illam barbaricam (Arnulfi), quae per surreptionem extorta" esset, plane tolleret [8]), et cum Lamberto amicitia conjunctus, ejus adjumento Italiam ab alienorum hominum imperio prorsus avellere et sui juris facere conaretur, quemadmodum Johannes VIII quondam Bosoni solo regnum Italicum comparare studuerat. Lambertus enim ducatu paterno Widoni tradito, jam non, sicut

1) Liudpr. I, 31.
2) Flodoard de Rom. pont. (Murat. III, 2, 318), Baronii annal. (ed. Lucens. p. 502) Epitaph. Stephani a Sergio descriptum.
3) Jaffé Reg. p. 303.
4) Flodoard. p. 318, Auxilius p. 48; Concil. Roman. l. l., Alberici chron a. 903 (Leibn. access. hist. II, 242).
5) Liud. I, 30. 6) Jaffé Reg. p. 304, 307.
7) Mansi XVIII, 221 sqq. 8) ib. can. VI.

antecessores ejus curiae Romanae semper e vicino imminebat, sed totius Italiae imperator ac Ticini morari solitus, papae libertati haud amplius periculum facessere visus est. Sed haec consilia, quae exsecuturi Johannes IX ac „spiritualis filius" ejus Lambertus in conventu Ravennae a. 898 habito [1]), diversas promulgarunt leges, morte praepropera et Augusti (a. 898) et papae (a. 900) ac Ludovici Burgundiae regis expeditione Italica prohibita sunt. Anno demum 904 Sergius III iterum creatus cum sedem apostolicam usque ad mortem obtineret, Formosi decreta et consecrationes, epistola ad Amelium episcopum Uzeticensem data haec docente [2]), cunctas vel irritas fecit vel nunquam valuisse judicavit atque Arnulfo semper regium solum nomen imposuit [3]). Hoc igitur modo ejus unctio a Johanne IX solemniter sublata nunquam, quantum scimus, decreto papali denuo rata facta est. Cum tamen facta rescindere non liceat, usque ad hodiernum diem inter omnes, Baronio et Mansio tantummodo exceptis, eum legitimum imperatorem atque ultimum quidem ex Carolorum stirpe fuisse constat. —

Jam vero Italiam discordiae ac contentionis plenam ac scortorum dominationem mox toleraturam relinquentes, cum imperatore in Germaniam redeamus, ubi paullo post novam calamitatem pertulit. Cum enim mense Augusto medio [4]) Forchheimii contionem haberet generalem ruina aedificii cujusdam graviter affectus est. Equidem hanc rem, quae in annalibus

---

1) Pertz Legg. I, 562. 2) Bouquet IX, 218.

3) cfr. Neugart. I, 533, Lappenberg I, 36.

4) Chartae ibi datae sunt die 9. (Boehmer 1124) et die 13. Augusti mens. (Erhard Reg. Hist. Westf. I, 118).

Alamannicis et Laubacensibus [1]) sub anno 897 refertur, Herimanno Augiensi [2]) potius fide habita, a. 896 accidisse putaverim, quia scriptor Laubacensis eam in conventu Forchheimensi, quem a. 896 non 897 celebratum esse scimus, evenisse tradit. — Ad Arnulfum, cui ex hoc tempore res orientales paene solae cordi et curae erant, corporis valetudine eum a longioribus itineribus arcente, Ratisbonae residentem [3]), mense Novembri vel Decembri Graeci imperatoris legatus, Lazarus episcopus venit [4]), cujus mandata, cum ad Ungaros sine dubio spectarent, ansam nobis ad eos tamdiu omissos redeundi praebent. Quorum fata hoc loco eo magis investiganda esse videntur, quia annis praecedentibus res ab iis gestae fuerant, quorum eventus ad seculorum sortem summam vim habens usque ad praesentem diem sentitur. Dum Ungari, sicut supra exposuimus, mulierum, liberorum, pecudum multitudine in Moldavia relicta, regionem inter Danubium et Tisium fluvios sitam effuse diripiunt, Symeon Bulgarorum rex minutas ob causas, quae a Theophanis continuatore indicantur [5]), Graecos, bello illato, prorsus in fugam convertit. Pagius [6]) hanc expeditionem, cujus tempus inprimis accurate definiendum est, a. 893 susceptam esse arbitratus est, Krugio [7]), quem multi alii secuti sunt, hunc calculum refutare annumque 888 pro eo

---

1) Pertz SS. I, 53.

2) Herim. Chron. a. 896. Arnulfus imperator, quodam aedificio cadente, cum multis aliis graviter conterens corpus, cecidit.

3) Die 20. Novembr. m. ibi chartam dedit (Hund metropol. Salisburg. ed. Gewoldus II, 105). 4) Ann. Fuld., 896.

5) L. VI. c. 9. ed. Bonnensis p. 357.

6) Critica ad Baronium III, 750, 758.

7) Byzantische Chronologie p. 20 — 22.

substituere conante. Ille enim, eo argumento maxime usus, quod omnes scriptores Byzantini harum rerum fontes, Symeonis invasionem post Stephani patriarchae mortem referunt, eoque indicare videntur, illam hac posteriorem fuisse, et Stephanus, iisdem testibus, per annos sex menses quinque dignitate patriarchali ornatus mense Majo a. 893 excessit, post hunc mensem bellum illud gestum esse arbitratus est. Nec Krugius hanc demonstrationem alio modo refellere potuit, quam quod in omnibus illis scriptoribus, continuatore Theophanis, Symeone Magistro, Georgio Monacho, Leone Grammatico, Cedreno, Codino Curopalata numerum annorum Stephani corrigendo, annos duos legere voluit atque ob eam tantum rationem, quia Symeon Magister expeditionem illam sub anno tertio Leonis imperatoris (i. e. 888 s. 889) narrat. Sed hic auctoritati, quae nulla est, fidem adjecit, cum a nemine, qui Theophanis continuatorum, scriptorem optime de his rebus instructum cum Symeone compararet, in dubium revocari posset, quin omnia sua ex illo hausisset et sicut ei libitum fuisset, in singulos annos digessisset [1]). Adde quod etiam scriptor Hildesheimensis [2]) a. 893 bellum (i. e. praelium) magnum inter Bavaros et Ungaros fuisse refert, quo loco equidem non Moravos pro Ungaris sed Bulgaros pro Bavaris legere mallem. Symeone igitur, Michaelis Borisis filio natu minore [3]), Vladimiri fratris successore, a. 893 victoriam ex Graecis ferente, Leo imperator per Nicetam Sclerum foedus cum Ungaris iniit [4]) et Eustathium drungarium

1) cfr. Koepke de Liudpr. p. 56. n. 1.
2) Pertz SS. III, 50.
3) Vita St. Clementis, c. 19. p. 25.
4) Theophan. continuat. VI, 9, Ann. Fuld. 896.

cum navibus transmittens [1]), eos trans Danubium transduci jussit, ut eorum auxilio victoriam obtineret. De iis, quae tum in Bulgaria gesta sint, testes non prorsus inter se consentiunt; hoc tamen pro certo affirmari posse videtur, Bulgarorum exercitu in ipsorum terra ab Ungaris Marcianopolim [2]) progressis bis devicto, Symeonem regem in Mundraga castello (cujus situs ignoratur) ab iis oppugnatum esse; postea vero, cum hostes praeda onusti trans Danubium reversi essent, ille eos subsecutus ac rursus aggressus, tertio adeo in fugam versus est, ut Durostorum (Silistria) vix combustus evaderet [3]). Leo Grammaticus [4]), et Georgius Monachus [5]), Arpadium et Curzanem Ungarorum in hac expeditione duces fuisse narrant, Constantinus [6]) autem Liunticam Arpadii filium alias ignotum, quem ipse in stemmate familiae Arpadianae in eodem capite proposito plane omittit. Deinde a. 894 [7]) Ungari post Suatopluci mortem primo Danubium occidentem versus transgressi, Pannoniam crudeliter devastare coeperunt. Bulgari interea injuriae iis inlatae minime obliti et ejus ulciscendae cupidi, pace cum Graecis confecta cum Patzinacis bellicosa gente, quae inter Tanaidem et Borysthenem pervagata bis jam [8]) antea Ungaros ex sedibus suis expulerat, foedus icerunt et dum Ungarorum robora in expeditione (ἐν ταξειδίῳ) sine dubio

1) Constant. de admin imp. c. 51.

2) ib. c. 39 „ἐξελάσαντες μέχρι τῆς Πρεσθλάβου“ cfr. Schafarik slaw. Alterthüm. IV, 216.

3) Leo imperator ipse Ungaros dicit: „τὸν κακῶς κατὰ χριστιανῶν ὁπλισθέντα Βουλγάρων στρατὸν τρισὶ μάχαις κατὰ κράτος“ devicisse (Tactica c. 18. §. 43. ed. Meursius, p. 287).

4) ed. Bonnensis p 266. 5) De Leone Basilii filio, c. 12.

6) De adm. imp. c. 39. 7) Ann. Fuld., 894.

8) Constant. de admin. imp. c. 37, 38.

in Pannoniam suscepta absunt [1]), liberis et mulieribus eorum cum praesidio relictis repente supervenerunt. Tum Patzinacae omnibus, quos assequi potuerunt, jugulatis, bonis eorum potiti terram a se colendam occupaverunt, ita ut eorum sedes ex illo tempore ad Durostorum usque paterent [2]). Engelius [3]) conjecturam fecit verisimillimam, Siculos (Szekler), qui quamvis cum Ungaris familiaritate conjuncti et ipsi rei equestri maxime operam darent, regiones tamen asperas et equitando nequaquam idoneas habitarent, reliquias esse Ungarorum illorum ob Patzinacarum metum Transsylvaniae montes ingressas. Itaque Ungari in Pannonia versantes, cum contra Patzinacas saepius ipsorum victores dimicare non auderent, novam patriam sibi armis parere non sua sponte, sed necessitate coacti coeperunt. Hanc vero hostium invasionem, non Arnulfi, quae dicitur, invitationem causam iis solum vertendi fuisse, et Constantinus expressis verbis demonstrat [4]), et ex eo elucet, quod Graeci postea [5]) Ungaros ut Patzinacarum terram ipsis ereptam armis recuperarent, persuadere tentaverunt; hoc autem eos fecisse non verisimile esset, si ultro illam Ungari reliquissent.

---

1) ib. c 38, 39 „*οἱ Πατζινάκαι μετὰ τοῦ Συμεὼν ἦλθον κατὰ τῶν Τούρκων, καὶ τὰς αὐτῶν φαμιλίας παντελῶς ἐξηφάνισαν, καὶ τοὺς εἰς φύλαξιν τῆς χώρας αὐτῶν Τούρκας ἀπεκεῖσε κακινκάκως ἀπεδίωξαν*“ cfr. Theoph. contin. VI, 9.

2) Const. de admin. imp. c. 42.

3) Gesch. des ungrischen Reichs (Wien 1813) I, 61.

4) c. 37 (Patzinacae) „*ἐκβαλόντες ἐξεδίωξαν αὐτοὺς* (Ungaros) *καὶ κατεσκήνωσαν ἐν αὐτῇ* (sc. *χώρᾳ*).

5) ib. c. 8. Ungari respondent legato Graeco. „*ἡμεῖς μετὰ τοὺς Πατζινάκας ἑαυτοὺς οὐ βάλλομεν· οὐ γὰρ δυνάμεθα πολεμεῖν πρὸς αὐτούς, ὅτι καὶ χώρα μεγάλη καὶ λαὸς πολὺς καὶ κακὰ παιδία εἰσίν.*“ cfr. c. 13, c. 3.

Tempus hujus expulsionis, quae est res permagni momenti, mea quidem sententia Katona [1]; recte definivit, his duobus praecipue testimoniis nisus. Anno enim 895 scriptor Fuldensis hac clade cum priori illa expeditione in Bulgariam facta confusa, refert „Ungaros terminos Bulgarorum invadentes. ab ipsis praeventos et magnam partem eorum exercitus interfectam esse". Tum Constantinus, qui haec operis sui de administrando imperio capita a. 950 composuisse videtur, suo tempore jam per 55 anno Patzinacas terram Turcarum tenuisse dicit [2]). Arnulfus de periculo, quod Ungarorum migratione imperio imminebat a legato Graeci imperatoris fortasse certior factus, eum Pannoniae tractum, qui sibi relictus erat, cum civitate Mosaburg Brazlavoni duci tuendum commisit [3]). —

Deinde imperator, natali Domini die Ottingae celebrato, legatos Moravorum audivit, qui ab eo „ne exules eorum profugi reciperentur" flagitaverunt, quod utrum iis concessum sit, necne, verba annalium Fuldensium in medio relinquunt. Palackyus [4]) exules illos a Francis receptos Bohemos fuisse non recte interpretatus est, cum haec tanta gens exulum nomine nullo modo significari possit. Videntur potius in Moravia ipsa intestini exorti esse motus, quorum causa Suatopluci filii pacem tunc integram servaverunt. Anno 897 ineunte rex diutius Ratisbonae commoratus, contionem ibi convocavit generalem [5]), in qua praeter

1) Hist. primor. ducum Hungariae p. 163.

2) c. 37. cfr. Katona l. l. p. 168, 6.

3) Ann. Fuld., 896. 4) Gesch. v. Böhm. I, 154.

5) Ann. Fuld., 897 chartae Ratisbonae datae sunt die 28. et 30. Januarii m. (Boehmer, 1128—1130).

alias chartas eo loco datas [1]), monasterio Lauresha-mensi, quod biennio ante ob regularis vitae corruptionem Adalberoni episcopo corrigendum erat traditum, jus abbatis libere eligendi denuo confirmavit, episcopus autem ille eidem coenobio, quod Liutherus abbas regendum suscepit, in conventu Borbetomagensi infra commemorando, possessionem suam Gernsheimii sitam donavit [2]). Tunc imperator, Herimanno [3]) tradente, „nulli fidens sacramentum fidelitatis denuo sibi et filio parvulo Ludovico a cunctis exegit"; ob quas causas optimatibus tantopere diffisus sit, scriptore Fuldensi silente, dici non potest, neque utrum ob eandem rationem, an propter „gravitudinem corperis solam „secretis locis Bavariae hiemare disposuerit". [4]) —

Mense tamen Majo exeunte Borbetomagi procerum conventum habuit [5]), quo Zuentebaldus quoque venit, ut colloquium cum patre sereret, ex cujus voluntate paullo ante (post pascha) Odam filiam Ottonis comitis [6]) vel Saxonici [7]) vel Suevici in matrimonium duxerat. Anno 896 exeunte enim res Lotharingiae ob rationem nescimus quam, tantas inimicitias [8]) contra

---

1) Cod. Lauresham. I, 95. 2) Cod. Lauresham. I, 97.

3) Herim. Chron., 897. 4) Ann. Fuld., 897.

5) Reg.. 897, Ann. Fuld., 897. Chartae ibi datae sunt die 8. et 9. Junii m (Boehmer 1130, 1131).

6) Reg., 897. Occurrit primo in tabula die 13. Junii m. a. 897 data „generosissimae conjugis nostrae Vodae" Martene et Durand collectio amplissima I, 244, (Boehmer, 1162) cfr. Dipl. ap. Lacomblet Urkundenbuch des Niederrheins I, 43 (Boehmer, 1169). „Dilectissima conjunx nostra Ota. et venerabilis Otto comes nostram adierunt praesentiam."

7) Eckhart comment. II, 773; alter Otto comes in pago Erichgowe vocatur ap. Herrgott. genealog. Aug. gentis Habsburg II, 54 (Boehmer 1057). 8) Reg., 897.

Gerardum et Matfridum fratres ac Stephanum atque Odoacrum comitem [1]) fortasse Trevirensem, cujus interventu eodem anno duas chartas dederat, suscepit, ut Augustam Trevirorum cum exercitu veniens, eos omnibus dignitatibus et fundis privaret, quos, monasterio ad Horrea Trevirensi et St. Petri Mettensi sibi assumptis, inter asseclas suos divisit. Arnulfus igitur cum eo sermocinatus id saltem effecit, ut ei tres illorum comitum, Odoacro solo excepto, reconciliaret et res regni Lothariensis, prout potuit, disponeret, anno tamen sequenti Reginarius dux [2]), de quo supra jam meminimus, adeo in Zuentebaldi odium incurrit, ut omnibus honoribus et possessionibus spoliatus, ab illo intra quattuordecim dies ex regno secedere juberetur. Regino testis harum rerum fide dignissimus ac minime regis inimicis fautor, licet suam sententiam nunquam prae se ferat, ducem immerito esse damnatum, his verbis indicare videtur: „Zuentibaldus Reginarium ducem sibi fidissimum et unicum consiliarium, nescio cujus instinctu (!) a se reppulit." Gagernius [3]) veram discordiae causam se in diplomate quodam deprehendisse opinatus est, quo rex abbatiam St. Servatii Trajecti constructam, quam pater ejus die 1. Jul. mens. a. 889 archiepiscopo Ratbodo Trevirensi tradiderat [4]), ipse autem [5]) „ob fallentium ora, qui praefatum episcopum totamque illius tuitionis congregationem hoc velle narraverant," Reginario in precariam concesserat, Aquisgrani in contione judicio omnium fidelium

1) Hontheim. Hist. Trevir. I, 232. Eo interveniente datae sunt chartae ap. Bouquet IX, 377, Hontheim I, 232 (Boehmer, 1156, 1157). 2) Reg., 898.
3) Vita Arn. imp. p. 121. 4) Boehmer, 1058.
5) Hontheim, I, 287 (Boehmer, 1168).

eidem pontifici reddidit. Ac revera statim post ejus mortem a Reginario iterum invasa, postea item a filio ejus Giselberto injuste retenta est, donec Carolus Simplex eam a. 919 legitimo restitueret possessori [1]). Itaque dux in exilium ejectus. cum Odoacro aliisque civibus turbulentis foedere facto, in loco tutissimo, cui Durfos (Doveren) nomen erat, Mosae paludibus ab omni accessu prohibito, se communivit. Carolus autem Simplex, tunc unicus Franciae occidentalis rex, quem comites illi advocaverunt, mox Zuentebaldum, frustra castrum illud expugnare conatum, ex regno cedere coëgit, atque impune Aquisgranum et Noviomagum progressus est. [2]) Tam parum hic princeps aliquando Arnulfo supplex factus imperatorem aegrotum, nunc metuit. Zuentebaldus interea ad Franconem episcopum Leodiensem confugiens, vassos ejus in expeditionem adduxit ac Florichingas veniens (Florenge ap. Diedenhofen) ex illo tractu omnes proceres collegit. Hoc igitur modo viribus resumptis contra Carolum profectus est, qui Noviomago Prumiam ingressus et ipse contra hostes castra movit. Sed cum exercitus sibi jam admodum appropinquassent, vassis, ex quibus uterque rex pendebat in pugnae discrimen venire nolentibus, per legatos induciae factae sunt et Carolus „nullo peracto negotio" trans Mosam in suum rediit regnum [3]). Anno 899 Zuentebaldus atque optimates ejus cum Hattone archiepiscopo, Conrado ac Gebehardo comitibus ex Germania et cum Haschirico archiepiscopo Parisiensi atque Odacaro comite ex Gallia venientibus ad St. Goarem colloquium seruit, de

1) Bouquet IX, 541, 546 (Boehmer 1962, 1964).
2) Reg., 898. 3) Ann. Ved, 898.

quo Regino [1]) haec modo verba arcanorum plena facit: „Quid vero in eodem conventu seorsum sine praesentia regis pertractatum sit, postea eventus rei luce clarius manifestabit." Gagernius [2]) eum de sua ipsius expulsione, quae eodem anno facta est, locutum esse, conjecit, sed mihi quidem in errore versatus esse videtur, cum Reginoni nulla causa esset, cur rem alio loco [3]) fuse expositam hic tam obscure significaret. Ego potius putaverim, inter optimates trium principum id convenisse, ut post Arnulfi mortem jam propinquam Zuentebaldus omnibus pariter invisus quam celerrime e medio tolleretur, ejusque regnum parvulo Ludovico, cujus summi consiliarii Hatto, Conradus, Gebehardus erant, cederet; quare postea Gebehardum [4]) in Lotharingia possessiones habere cernimus, atque etiam monasterium ad Horrea Trevirense, Zuentebaldo quondam proprium. Post illum conventum rex iterum Durfos profectus, cum hoc castrum totis viribus expugnare nixus, capere nequiret, ab episcopis ut Reginarium Odacarum eorumque socios anathemate ferirent, rogavit, iisque de hac re recusantibus, minis et contumeliis usus, irae tantopere indulsisse fertur [5]), ut Ratbodi hucusque archicancellarii atque intimi consiliarii sui caput baculo percuteret. Obsidione igitur soluta, Normannos [6]), qui ad Isam fluvium sedem sibi firmare ausi usque ad Mosam pervagabantur, insecutus sed non assecutus est eodemque anno pacem tandem cum Carolo composuit. Nec multo post imperatore mortuo, tempestas, quae jamdiu filio ejus imminebat, eru-

1) 899. 2) p. 123. 3) a. 892.
4) Reg. 906 cfr. Eckhart. comment. II, 785.
5) Ann. Fuld. 900. 6) Ann. Ved. 899.

pit [1]) atque in aestate a. 800 omnes proceres et episcopi regni Lotharici in Theodonis villa (Diedenhofen) ad Ludovicum Infantem certatim transeuntes [2]) homagium ei reddiderunt. Zuentebaldus hoc modo „a regni gubernatione dimissus" [3]) cum paucis comitibus igni et gladio cuncta devastavit, sed, Ludovico brevi postea rursus adveniente, die 13. Aug. mens. a comitibus Stephano, Gerardo, Matfrido in proelio ad Mosam commisso interfectus [4]) et in monasterio Suestrensi [5]) sepultus est; reliquit nullos filios, duas tamen filias habuisse fertur, abbatiae Suestrensi deinceps praepositas, quibus Caeciliae et Benedictae nomina erant imposita [6]). Difficile nobis est dictu, uter majorem culpam contraxerit, rex omni animi perturbationi succumbens, an vassi ejus fidem violantes, cum homines et temporum illorum aequales et aequi judices anci-

---

1) Reg. 900, cfr. Pertz SS. II, 218 a. 900 „Dirae hominum adversus Deum se extollentium tempestates."

2) ib. cfr. Boehmer, 1178.

3) Verba Ludovici in diplomate sunt „Suentipulchus postquam a regni gubernatione proceres regni Lotharici dimiserint" (ap. Lacomblet I, 47, Boehmer 1227). —

4) Reg. 900, Necrolog. Prumiense (l. l.) a. 901 Zuentibolt in proelio interficitur idib. Aug. Ann. Alamann. 900. Necrolog. Epternac. (Reiffenberg monuments de Namur, VII, 210).

5) cfr. Chron. breve Leodiense ap. Martene et Durand Thesaur. anecdot. III, 1406, Acta SS. ed. Bollandi ad diem 13. Aug. mens. p. 138. Reschius vero haec de eo verba facit: „in monasterio Epternacensi sepultus est a. 900 hac cum memoria XV Kal. Sept. Zendebolt rex piae memoriae". Suestrae rex ipse, „e quo decerptus dens unus innumeros homines e dentium dolore mirabiliter liberavit", quasi vir sanctus honoratus est. cfr. Ernst, histoire de Limbourg I, 366 adn. 1.

6) Dies 17. Aug. mens memoriae earum consecratus est. Chron. Leodiense l. l., Acta SS. ad diem 17. Aug. m. p. 509.

pites haereant. Cujus rei exemplum monachus est, qui annales Lobienses continuavit [1]), ita de eo loquens: „Eodem anno propter insolentiam morum interfectus est Zuendibolch rex a Lothariensibus; quicumque tamen in ea conspiratione et bello hostium ejus vulneratus est, aut mortem in praesenti non evasit, aut nunquam sanari meruit. Chronicon tamen Mediani monasterii [2]), regi magis infensum, eum „primitias sui principatus flebilis flagitii nota dedecoravisse" dicit, quia coenobium illud Hillino comiti, „in cujus clientela vix aliquot canonici permissi sunt immorari", jure beneficii concessit; in eandem vituperationem a scriptore Fuldensi adducitur [3]), eum res ecclesiarum „crudelitate sua immoderate affectasse" perhibente; etiam in catalogo regum et imperatorum [4]) ille „rex crudelis" vocatur. Ex Reginonis [5]) denique testimonio, viri ab omni partium studio alieni, cui Zuentebaldus [6]) ipsi tres dederat chartas, dissensio exorta est „propter assiduas depradaetiones et rapinas, quae in regno fiebant, et quia (rex) cum mulieribus et ignobilioribus regni negotia disponens, honestiores et nobiliores quosque dejiciebat, et honoribus et dignitatibus exspoliabat", et rebus jam desperatis ille [7]) „defectores, qui propter ejus insolentiam et immanem malitiam ab eo defecerant, immaniora et pejora faciens ad se revocare posse" arbitratus est. Verum adversarios ejus non propter injurias ab eo illatas propulsandas ad Ludovicum transisse, sed ut sub infantis imperio impune latrocinia agerent, multa sunt, quae nobis persuadent. Stephanus

---

1) Pertz SS. II, 209. 2) Pertz SS. IV, 89. 3) a. 900.
4) Pertz SS. III, 215. 5) a. 900.
6) Boehmer, 1151, 1171, 1172. 7) a. 900.

sodalis fuerat Hugonis illius [1]), qui praedonis modo bellum seditiosum gessit; idem cum Gerardo et Matfrido fratribus jam antea anno 894 poenam ignominiosam subiit; qui etiam Richarium fratrem, Reginone, qui secundum regulam electus erat, injuste dejecto [2]), abbatem Prumiensem creari jusserunt. Gerardus defectionis mercedem abbatiam Alsatiensem Heribotesheim (Ebersheim) possidendam accepit [3]) atque Odam, Zuentebaldi viduam eodem anno [4]), quo mariti ejus sanguinem fuderat, uxorem duxit. Ipse autem et Matfridus sex annis post (a. 906), cum monasterium St. Maximini et St. Mariae ad Horrea Gebehardo proprium violenter occupassent, a Ludovico [5]) rege proscriptione damnati sunt. Reginarius vero, qui praeter abbatiam St. Servatii, tribus coenobiis, Malmundariensi (Malmedy), Stabulensi (Stablo) [6]), Epternacensi (Echternach) [7]) abbas praefuit, primo a Carolo ad Zuentebaldum, tum ab hoc ad illum, dein ad Ludovicum tandem iterum ad Carolum transiens (a. 911) praemium proditionis Giselberto filio ducatum Lotharingiae paravit. —

---

1) Reg. 883. 2) Reg. 892, 899.

3) Dipl. Ludovici „abbatiam Heribotesheim — quae a Gerhardo quondam comite proprio jure habita" ap. Miraei opp. diplom. I, 34 (Boehm. 1218).

4) Reg. 900 cfr. Necrolog. Hildesheim (Leibnitz I, 765) VI Non. Jul. Oda regina soror nostra.

5) Reg. 906. Boehmer 1214, 1218.

6) Martene et Durand II, 38 Diploma Reginarii (a. 911) „Raginnarius comes ac missus dominicus necnon et abba Stabulensis atque Malmundariensis monasteriorum."

7) Dipl. ap. Schannat Tradit. Fuldenses (Boehmer, 1215) p. 223. „missus Reginharii religiosi comitis et abbatis coenobii Eftirnacha dicti."

Arnulfo interea a. 897 Borbetomago Triburiam itinere facto, conventum ibi congregavit generalem [1], inde monasterium Fuldense orandi gratia petiit. Quem in curte Salz commorantem legati Soraborum cum muneribus adierunt. Haec enim gens a Ludovico Germanico [2]) a. 869 in ditionem redacta et a. 874 una cum finitimis populis ab imperio Francorum se liberare conata, a Liutberto archiepiscopo Maguntiacensi et Ratolfo duce iterum perdomita [3]) erat. Postea fortasse Suatopluco tributum persolventes illi nunc a Moravorum dominatu ad Francicum reversi esse videntur. Imperator auctumni tempore Ratisbonam [4]) reversus, in qua urbe inde maximam vitae partem exegit, legatos Bohemorum recepit, qui donis magnificis oblatis, auxilium contra Moravos, a quibus tum impugnati sunt, promiserunt. Quos rex, magnum iis honorem et benevolentiam tribuens, muneribus et adhortatione delectatos domum dimisit ac „totum illius anni tempus autumnale finitimis in locis aquilonalibus Danubii Ymbrisque (Regen) fluminis sese sustentavit, hac etiam intentione, ut si supradictae genti necessitas auxilii sui immineret, paratus cum suis fidelibus exsisteret" [5]). —

Sequenti enim a. 898 inter duos fratres, qui regno Moravico tum praeerant, inimicitia tam violenta suscepta est, ut alter alterius vitae insidiari studeret [6]). Suatopluco vero, qui ab Arnulfo auxilium petierat, Liutboldus et Aribo marchiones cum exercitu Bavarico subsidio missi, terram igni et gladio late vastaverunt. Tunc rex certior factus, auctorem fraternae discordiae

1) Ann. Fuld. a. 897. 2) Ann. Fuld. a. 869.
3) ib. 874. 4) ib. 897.
5) Ann. Fuld. 897. 6) ibid. 898.

Aribonem comitem fuisse, Ysanrico filio instigante, illi eam ob causum aliquamdiu marchionis munus ademit, quod ei mox redditum est. Qua ratione ductus ille his rebus se miscuerit, non traditur, licet de re ipsa dubitari nolim, cum etiam a. 882 Aribonem cum Moravis foedere conjunctum et filium iis obsidem dantem videmus [1]). Fortasse dissensione illa fraterna bellum ciere voluit, quod sibi occasionem opportunam praedae capiendae praeberet. Palackyus [2]), suis opinionibus nimium concedens neque ullius fontis testimonio nisus, Vichingum, regium cancellarium ab Arnulfo ad litem fratrum movendam subornatum esse existimavit. Constantinus saeculo dimidio post has res scribens [3]), qui uno solum anno post patris mortem filios inimicitias mutuas exercuisse refert, annalibus Fuldensibus hic certe posthabendus est. Deinde Erimbertus [4]) comes, qui quondam ob studium suum erga Ludovicum III ab Arnulfo expulsus, ab illo restitutus erat, postea „rebellis regi suisque" existens a Priznolawo duce Slavico (i. e. fortasse Bohemico) comprehensus atque a Liutboldo catenis injectis, Rantesfurtii (ad Acnum pr. Braunau) tempore natalis Domini diei regi traditus est. In comitatu in pago Isanahgowe sito ei Gumpoldus successit, cujus prima mentio in charta die 2 Julii a. 899 data habetur [5]); qualem finem ille ipse habuerit, vel quando defecerit obscurum est.

Anno 899 imperator Ratisbonae, ubi ob corporis aegrotationem diutius moratus est [6]), contionem po-

1) Ann. Fuld. 884 (p. V.) 2) Gesch. v. Boehmen I, 151.

3) c. 41. 4) Ann. Fuld. a. 898.

5) Monum. Boic. XXXI, 1, 158.

6) Chartae ibi datae sunt diebus 5 et 8 Febr. men. (Boehm. 1148, 1149) et die 1. Maji m. ap Schultes histor. Schriften II. Abtheil. p. 334.

puli convocavit, quae Otam reginam [1]) de crimine adulterii, cujus accusata erat, septuaginta duobus hominibus in ejus innocentiam jurantibus, absolvit ac paullo post die 2. Julii mens. Arnulfus „per interventum dilecte conjugis" monasterio Ottingensi [2]) praedia nonnulla donavit. Tum duo quoque viri et femina quaedam, cui Rudpurgae nomen erat, regem veneficio ab iis paralysi affectum esse arguti sunt, et haec quidem Ebilinguae in patibulo suspensa obiit, illorum alter Graman Ottingae a carnifice necatus est, alter in Italiam aufugit. Scriptor Fuldensis tam definite eos culpae convictos esse affirmat, ut nobis hac de re dubitari non liceat, considerandum tamen est, Carolomannum patrem regis sine veneni suspicione eodem malo laborasse atque Hemmam [3]) quoque Ludovici Germanici uxorem illius aviam simili modo excessisse. Interea [4]), fortasse jam anno praecedente, Ysanricus Aribonis filius imperatori repugnans partem marcae orientalis invasit eoque Arnulfo, qui nondum leoni illi aegroto similis erat, in fabula Aesopica ab asino ludibrio habitus, tantam indignationem movit, ut hic propter corporis imbecillitatem navi Danubium transvectus eum in civitate Mutino (Mautern) oppugnaret et ad deditionem venire cogeret. Dein vero, cum a custodibus Ratisbonam traheretur, ad Moravos confugiens eorum adjumento denuo sibi marcam illam arripuit et pace demum a. 901 [5]) cum Moymiro composita ve-

1) Ann. Fuld. 899, cfr. chron. Heriman. (a. 899), qui subobscura scriptoris Fuldensis verba explanat (Pertz SS. V, 111)

2) cfr. p. 154 n. 5. 3) Ann. Fuld., 874, 876.

4) ibid. 899.

5) Herim. Chron. 901 „Moymarus dux Marahensium et Isanricus Noricus comes, qui ad ipsum transfugerat cum Ludovico rege pacificati sunt."

niam Ludovici regis impetravit. Hic silentio praeterire non possum, Eckhartum [1]), quem Assemanus, Hormayrus, Buchnerus alii secuti sunt, mirifico errore ductum, perduellem illum patriae cum Isingrimo [2]), comite pagi Matahgowe ac regis dapifero confudisse, etsi hic eodem anno, quo ille „tyrannidem suam sine cessitatione" exercuit, in chartis illustris comes et ministerialis a rege nominatur, hic comitatum in Bavaria administravit, ille Mutini in marca orientali se defendit. Veri non plane dissimile est, Ysanricum eam partem Orientis occupasse, quae Liutboldo tradita erat, cum vix credendum sit, eum patri paulo ante ejusdem culpae reo arma intulisse.

Quae dum ab Arnulfo aguntur, optimates Bavarici bellum, quod nescio an contra imperatoris voluntatem susceperant, continuo ac strenue gesserunt, id ad lucrum praedamque revocantes atque anno 898 tempore hiemali Moravorum terram impune exspoliaverunt [3]). Tum anno sequenti [4]), hostium finibus tertio direptis, Suatoplucum, qui fratri inferior in civitatem quandam aufugerat atque ibi oppugnabatur, profugum et supplicem cum sociis, urbe illa funditus eversa, secum in patriam duxerunt. De quo Hormayrus [5]) conjecturam fecit minime probandam, illum in Bavariam receptum eundem esse ac Zwetbochum quendam,

1) II, 797.

2) Isingrimus nominatur, a. 898, 11 die Sept. m. „Isangrimi comitis ac dapiferi nostri" (Mon. Boic. XXXI, 153), 899, die 5. Febr. m., „Isangrimo illustri comite ministerialique nostro" (ib. p. 156, Boehmer, 1148); die 8. Februar. m. „per interventum Issangrini illustri comitis nostri" (Boehmer, 1149) cfr. Mon. Boic. XXVIII, 186. (Boehmer, 1198) „in Matahgowe, in comitatu Isangrimi." —

3) Ann. Fuld. 898.

4) Ann. Fuld. 899. 5) Herzog Luitpold. p. 8.

Liutboldi vassum, virum „progenie bonae nobilitatis" exortum: ille enim a. 899 demum ex Moravia expulsus est, hic jam a. 898 in Carinthia habitasse in chartis dicitur [1]. Moymirus, fratre in exilium acto, solum rerum potitus ac regno undique valde afflictato pristinum reddere splendorem conatus, a papa Johanne IX multa pecunia impetravit [2], ut hic Johannem archiepiscopum et Danielem ac Benedictum episcopos [3] in Moraviam mitteret, qui novos ibi consecrarent episcopos. Itaque novus metropolitanus Methodii jamdiu mortui loco ab iis constitutus est, cui tres subjecti sunt suffraganei, quorum provincias, quin accuratius investigemus, ob testium inopiam fieri non potest. Consecrationes illas Richarius episcopus Bataviensis, Moraviam sibi obtemperare oportere arbitratus, caeterique Bavariae episcopi admodum indignati sunt, praesertim cum Slavi, legatorum papae gratia sibi conciliata, multa pontificibus Bavaricis objicerent crimina, dicentes, eos „cum Francis et Alamannis scandalum et discordiam habuisse ac cum Ungaris fidem catholicam violasse et per canem seu lupum aliasque nefandissimas et ethnicas res sacramenta et pacem egisse, atque ut in Italiam transirent pecuniam dedisse." Quibus rebus fide tributa legati Romani litteris ad episcopos Bavaricos „quasi ab apostolica sede" datis valde eos corripuerunt et multa probra ingerentes inter alia „divino gladio feriendos dignos" dixerunt. Crimina illa propulsaturi et Hatto [4]) et Theotmarus archiepiscopus

1) Boehmer 1139, 1140.

2) Epist. Theotmari ad Johannem IX papam ap. Boczek cod. dipl Morav. I, 60 ‚jactitant se magnitudine pecuniae egisse, vos eosdem praefatos episcopos ad se direxisse." —

3) Wiener Jahrbücher vol. 37 p. 63.

4) Boczek cod. dipl. Morav. I, 64.

Juvavensis tempore verno [1]) a. 900 Johanni IX papae epistolas inscripserunt, Moravis iniquissimas et nequaquam falsis accusationibus vacuas, quae diserte nos docent, quantam inimicitiam Franci contra Slavos, Ungarorum opibus in dies accrescentibus, etiamtum gesserint. Dubito quoque an fides pontificibus Bavariae habenda sit, omni asseveratione affirmantibus, se a. 899 [2]) pacem cum Moravis conciliare voluisse „promittentes eis propter dominum omnipotentem ad profectum indulgere omnia mala contra se suosque facta, et omnia reddere, que de illorum (bonis) suos constaret habere." Anno enim 900 Bavari cum Bohemis conjuncti [3]) rursus Moraviam peragraverunt, ingenti praeda inde facta et anno 901 demum ob Ungarorum terrorem pacem cum Moymiro composuerunt [4]). Qualem finem ecclesia Moravica denuo condita ac regnum habuerint, scriptores horum temporum valde jejuni, a. 902 Slavos contra Ungaros proeliatos esse [5]), referentes, silentio transeunt. Ego tamen Reginonis praecipue testimonio [6]) nisus, qui a. 907 Suatopluci filios infeliciter pauco tempore imperium tenuisse scripsit, a. 906, quo Ungari primo per terras Slavicas in Saxoniam irruperunt [7]), Moymirum jam mortem occubuisse existimaverim. Cosmas Pragensis [8]) etiam Polonos

---

1) Epistolae scriptae sunt post Ungarorum ex Italia reditum ac Ludovici electionem (21. Jan. 900) et ante Julium mensem, quo Johannes IX mortuus est (Jaffé Reg. p. 305).

2) sc. ante expeditionem Ungarorum Italicam.

3) Ann. Fuld., 900. 4) ibid. 901, Herim. chron. 901.

5) Ann. Alam., 902, Herim. chron. 902. 6) Reg., 894.

7) Ann. Corbej., 906 (Pertz SS. III, 4), annalista Saxo (SS. VI, 391), 906 cf. Widukind, I, 17, 20.

8) I, 14 (l. l.) „partim Ungaris illud (regnum) diripientibus, partim Teutonicis orientalibus, partim Poloniensibus solo tenus hostiliter depopulantibus." —

arguit, depopulationibus eos illius eversioni suffragatos esse. —

Anno 899 Engilmarus episcopus Bataviensis obiit [1]), regius quondam ministerialis [2]) et in magnam Arnulfi gratiam receptus, cui imperator Vichingum, Alamannum [3]), cancellarium suum suffecit, virum, qui ad res tempore ejus gestas magnam certe vim habuit. Idem aliquando christianae religionis propagandae causa presbyter in Moraviam iverat [4]), et a Suatopluco duce ad id commendatus, a Johanne VIII papa, ad quem ipse Romam iter fecerat, anno 880 episcopus Nitriensis (Neitra) Methodii suffraganeus consecratus est [5]). Mox tamen dogma ecclesiae Francicae de emanatione Sti spiritus et ritum officii divini Latinum contra illum tuitus [6]), qui in Graecorum se adduxerat consuetudinem, tantam ei exhibuit molestiam, ut jam a. 881 multa de eo conquestus papae imploraret fidem [7]). Postea autem a Stephano VI papa, a quo magnam inierat gratiam, Suatopluco velut „spiritualis pater"

---

1) Ann. Fuld. 899.

2) cfr. Monum. Boic. XXXI, 1, 133, 142, 144, 154, Boehmer 1097, 1129, 1146, 1147.

3) Ann. Fuld. 899. Necrolog. Aug. (l. l.) II. Id. Sept. Vuiching episcopus.

4) Epist. Johann. VIII „dilecto filio Sfentopulcho glorioso comiti" inscripta (Boczek c. dipl. Mor. I, 42) „ipsum quoque presbyterum nomine Wichinum."

5) Ibid. cfr. ep. Theotmari l. l. „Antecessor vester Zuentibaldo duce impetrante, Wichingum consecravit episcopum." —

6) Vita St. Clementis c. 7 (p. 11) „*Βιχνῖχον δέ τινα τοῦ τῆς αἱρέσεως ἀκράτου μεθυστέντα καὶ τοὺς ἄλλους μεθύσκειν δυνάμενον — ἐπὶ τὸν θρόνον ἀνάγουσιν.*

7) Responsio Johannis VIII, 10. Kal. Apr., ind. 14. data (23. Mart. 881) (ap. Boczek I, 44.)

commendatus est [1]), et potentia sua fretus anno circiter 885 vel 886 post Methodii mortem discipulos ejus, Clementem, Gorasdum, Angelarium, Naum alios graviter persecutus est et carcere maceratos in exsilium pepulit [2]). Denique in ducis suspicionem veniens fortasse propter bellum contra Francos susceptum, ab eo ad acerrimum ejus inimicum Arnulfum regem transfugit, cujus cancellarius, Asperto die 12. Martii m. a. 893 mortuo [3]), factus est [4]) Nunc igitur imperatoris favore in episcopatum Bataviensem provectus et hoc munere parumper functus, a Theotmaro archiepiscopo ejusque suffraganeis synodo congregata, canonicali judicio dejectus [5]) ac loco ejus Richarius subrogatus est. „Contra instituta patrum" autem sedem Bataviensem obtinuisse eam ob causam accusutas est, quia etiamtunc ecclesiae Nitriensi praefuit, neque edictum a Stephano VI datum [6]), ut episcopis, quorum parrochiae a paganis incensae essent, aliae sedes concederentur, ad eum, sicut nonnulli censuerunt, valere potuit, cum Nitra urbs profecto tum ab Ungaris nondum esset invasa. Eodem etiam anno [7]) Eberhardus Saxo, filius Meginhardi atque Evesae comes vel dux Frisiae [8]), qui anno 885 ab Heinrico duce subornatus Godefridum Normannum trucitando patriam a magna

---

1) Wattenbach, Beiträge zur Gesch. d. christl. Kirche in Mähren p. 43 sqq. —

2) Vita St. Clementis c. 12, 13 (p. 17 — 19).

3) Necrolog. St. Emmerami (Mon. Boic. XIV, 365 sqq.) Ann. St. Emmer. min. 893. (Pertz SS. I, 94).

4) Prima tabula, cui subscripsit, data est die 2. Sept. m. a. 893. (Mon. Boic. XI, 436; Boehm. 1104). 5) Ann. Fuld., 899.

6) Ann. Fuld. a. 886. Fusius de Vichingo disseruit Wattenbachius Beiträge etc. p. 24 — 30.

7) Reg. 899. 8) Reg. 881.

plaga liberaverat [1]), a Waltgario filio Gerulfi comitis Frisii dolo interfectus est; cui imperator Meginhardum fratrem ejus suffecit.

Priusquam rebus sub Arnulfo, cui tum jam mors instabat, gestis enarrandis finem imponamus, quomodo Ungari terminos propagaverint explanemus necesse est. Qui agros latissimos inter Danubium et Tisium fluvios jamdiu depopulati, inde ab anno 894 in Pannonia magna cum crudelitate saevierant, unde primum a. 898 excursu usque ad Brentam flumen facto [2]), a. 899 tempore verno [3]) Italiam denuo aggressi sunt. Innumerabilibus vero caedibus perpetratis, etiam Liutwardum, episcopum Vercellensem die 24. Junii [4]) m. obtruncaverunt atque Aquilejam, Veronam, Patavium, Brixiam, Ticinum, Mediolanum transeuntes usque ad montem Jovis pervenerunt [5]). Complures quoque vicos Venetiis vicinos depraedati die 29. Junii [6]) m. ab incolis in fugam versi sunt. Interea Berengarius, qui tum toti Italiae solus praeerat, exercitu 15000 hominum collecto eos persecutus, cum, omnibus pacis condicionibus repudiatis, juxta Brentam fluvium [7]) incau-

1) Reg. 885 Gerulfus comes nominatur: Ann. Ved. 885; in diplom. ap. Miraei opp. diplom. I, 34 (Boehm. 1062).

2) Liudpr. II, 7 — 8. Koepkius (de Liudpr. p. 84) sine justa ratione de hac expeditione dubitat. Nullus enim rerum Italicarum hujus temporis scriptor praeter Liutprandum exstat, qui hujus rei mentionem facere potuerit.

3) Liud. II, 9. „Sol necdum Piscis signum deserens, Arietis occupabat." 4) Reg. 901. Necrolog. Aug. (Mittheil. d. antiq. Gesellschaft in Zürich VI, 55 sqq.)

5) Liud. II, 9. Johannis chron. Venet. ap. Pertz. SS. VII, 22.

6) ibid. „In die passionis Storum apostolorum Petri et Pauli."

7) Annal. Alam. 899. „bellum primum inter Ungaros et christianos in Italia ad Parentum et castelli capti sunt." Liud. II, 10 — 15.

tius ageret, repente ab hostibus die 24. Sept. m. [1]) oppressus est, qui maximam christianorum stragem ediderunt. Deinde victores usque ad abbatiam Nonantulam [2]), quae ab iis concremata est, progredientes, impune praedati sunt. Anno demum 900 ineunte reversi esse videntur, quapropter scriptorem Fuldensem [3]) aliosque hanc expeditionem ad hunc annum retulisse opinor. Sed jam tempus aderat, quo Bavari contra Moravos ad mutuam perniciem dimicantes, insanae inimicitiae sero poenitentiam agerent. Ungari enim, quibus ante iter Italicum Bavari linea vestimenta dono dederant [4]), „quatenus eorum aliquotiens feritatem mulcerent", a. 900 legatis speculandi gratia pacem ineundam praetexentibus praemissis [5]), Anisum fluvium, qui sejungit Bavariam transgressi, totam regionem adjacentem ferro et igni vastaverunt et, priusquam nostrates eos assecuti essent, cum praeda regressi sunt. Tunc Pannoniam inferiorem ab iis, qui inde ab anno 895 inter Danubium et Tisium sedes collocaverant, occupatam esse, ex annalibus Fuldensibus [6]) dilucide apparet, qui cum antea eos ex Italia redeuntes Pannoniam „ex maxima parte" devastasse tradidissent, jam ex Bavaria „ad sua in Pannoniam" reversos esse

---

1) Chron. Nonantulan. ap. Tiraboschi Nonantula II, 6. „VIII. Kal. Oct. juncxerunt se christiani cum eis in bello ad flumen Brenta, ubi multa milia christianorum interfecta sunt ab iis et alios fugaverunt" etc.

2) cfr. litteras Sergii III papae Leopardo abbati Nonantulano inscriptas ap. Murat. Antiq. I, 23.

3) Ann. Fuld., 900. Koepkium (de Liud. p. 83) cladem illam a Berengario a. 900 acceptam esse, opinantem chron. Cavense adulterinum fefellit. 4) Ep. Theotmari l. l.

5) Ann. Fuld. 900. 6) ibid.

dicunt. Nec victoria splendida, paullo post in sinistra Danubii ripa a Liutboldo marchione ac Richario episcopo reportata neque arx validissima Anesipurch (Enns) „pro tuitione patriae contra christiani nominis persecutorum insidias" constructa [1]), Francis multum profuerunt, cum anno sequenti, pace cum Moravis confecta, Ungari „partem australem regni illorum" i. e. Pannoniam superiorem, Carinthiam depraedati invaderent [2]). Terram vero inter Marum (March) et Granuam fluvios montuosam postea demum ab iis expugnatum esse ex eo elucet, quod tractu illo ad Danubii ripam excepto, incolae ejus, qui nunc Slovaci nominari solent, ex maxima parte Slavicae sunt originis [3]). Transsylvaniam quoque Vlachorum patriam ob similem rationem posteriori tempore ab iis occupatam esse putaverim, quia Ungari proelio equestri ac pecoribus pascendis maxime assueti in campis planis atque apertis melius pugnare et optime ea parare poterant, quae et ad cultum et ad victum sibi suppeterent. Misera autem et infelix Germaniae inter se discordis erat condicio, cum Bavarorum omni nobilitate cum Liutboldo fortissimo propugnatore a. 907 uno proelio consumpta [4]), nemo jam armis ad saevum paganorum furorem compescendum valeret. Qua de re Salomon clarissimus ille episcopus [5]) audiatur, his verbis patriae

---

1) Ann. Alam. 900, Herim. chron. 900. Ann. Fuld. 900. Liudpr. II, 2, cfr. tabulam Ludovici die 19. Januarii m. a. 901 datam, qua oppidum illud „cum omni apparatu munitionis seu utilitatis" monasterio st. Floriani donavit. Mon. Boic. XXXI, 1, 162

2) Ann. Fuld. 901, Herim. chron. 901.

3) cfr. Haeufler Sprachenkarte d. oestr. Monarchie.

4) Ann. Alam. 907, Auctar. Garstense 906.

5) Maxima bibliotheca veterum patrum, vol. XVI, p. 1301.

cladem deplorans: „Nunc canis ipse domum Christi spurcissimus intrat, Dat necibus plebem, vulgo res, ignibus aedem; At mensam Domini sacram manus impia scindit; Tractat pollutus sanctorum pignora tactus; Ecclesiaeque pecus peregre transducit abactum. Non miseret patris nulla est miseratio matris. Transfigit natum feritas ante ora parentum, Nec natam redimit, quod mater funera plangit. Junior atque senex, lactens puer atque puella, Alter in alterius moribundi caede volutant. Instant Italides spoliatae civibus urbes, Ac desolati demptis cultoribus agri, Campi caesorum siccutis ossibus albent. Jam puto tot vivi non sunt, quot morte perempti." —

Haec omnia post Arnulfi obitum acciderunt; die enim 8. Decembr. m. [1]) a. 899 diutino morbo implicatus Ratisbonae decessit, ubi in basilica St. Emmerami [2]), patroni ejus honorifice in arca lapidea [3]) sepultus est; ibique, donec monasterium tolleretur dies mortis ejus missa anniversaria pro anima lecta a fratribus, quorum vivus exstiterat benefactor, celebratus est. Nos autem, qui rebus, quae ab hoc viro gestae sunt, rimandis fundamenta futuri monumenti jacientes, paullulum immortalitati ejus terrenae prodesse cupimus, sicut monachi solemnibus illis aeternae, jam paucula ea, quae de indole et moribus ejus tradita sunt

1) Coelestinus abbas invenit a. 1671 in ipsa arca tabulam plumbeam, in qua haec verba inscripta erant: „VI Id. Dec. Arnolt. I. R. obit." Eundem diem habet Bernoldi necrologium (Pertz V, 393). Necrol. st. Emmerami, V Kal Dec; Reg. a. 899, III Kal. Dec.; Necrol. Aug., II Id. Jul. (!); Necrol. Prumiense. III. Kal. Dec.; Necr. Lauresham. IV Id. Decem. Necrol. Epternac. III Kal. Dec. 2) Ann. Fuld. 900, Reg. 899.

3) Buchner, bair. Gesch. II, 138.

colligamus. Et Regino [1]) quidem, eum a patre pulchritudine insigni atque ingenti corporis vi excellente genitum et ipsum „elegantissimae speciei fuisse" refert; magnis eum extollit laudibus poëta Saxo [2]), ita imperium Francorum affatus: „Nunc tamen Arnulfo merito sub principe gaudes, Qui similis tanto moribus est atavo (i. e. Arnulfo Mettensi), Denique magnanimus, clemens promptusque labore Pervigili lapsum corrigit imperium, Francorumque movet veteri virtute lacertos, Atque vocat resides rursus in arma viros. Sed moles immensa, diu quae corruit ante, Non restaurari se subito patitur. Illi det vitam, qui virtutem dedit amplam Et magne nobis causa salutis erit." Nec pium Dei cultorem ex temporis illius hominum ingenio eum fuisse, cujus altare mobile, quo in itineribus utebatur, Mabillonio [3]) etiamtum Ratisbonae ostendebatur, negari potest, cum raro ecclesiarum vel coenobiorum reditus proceribus, ad gratiam eorum sibi conciliandam donaverit [4]), et patres Triburiae congregati Christum collaudarent [5]), qui ecclesiae „tam pium et mitem consolatorem, tamque strenuum adjutorem — condonare dignatus" esset, „cujus cor Stus spiritus ardore inflammare et zelo divini amoris voluisset accendere." Praecipue autem rex per vitam St. Emmerammum venerabatur [6]) „adeoque illi adhesit, ut in vicinitate monasterii regio cultui aptum construeret grande palatium" [7]); eidem coenobio postea ex Moravia feliciter

1) Reg. 880. 2) L. V. v. 415 sqq.

3) Iter Germanic. (Vetera Analecta p. 16.)

4) cfr. Boehmer 1027, 1032, 1047, 1051, 1056, 1058, 1068, 1069 etc. 5) Pertz Legg. I, 559. —

6) Reg. 899 „in basilica st. Hemmerammi martyris, quem ipse dum vixit, multum veneratus est."

7) Arnoldus de St. Emmerammo c. 5 (Pertz SS. IV, 551).

reversus „contulit totum palatii ornatum", cujus monachos regia largitione ditatos magnis tunc valuisse opibus, ex eo quoque patet, quod Ludovicus IV uni eorum Ekkeprehto [1]) jugerum vineis consitum contra regulam donavit. Ratisbonam vero urbem, Emmeramo imprimis consecratam [2]) Arnulfus maxime adamavit, ibique creberrimus morabatur. Concubinas quidem complures habuit, ut qui ab Ekkehardo [3]) quoque filiam notham Salomonis episcopi „ad amplexus" petivisse ac repulsam tulisse narretur, sed hoc et omnibus Carolis, Carolo Magno ipso non excepto, culpae est dandum et aetatis illius moribus valde corruptis, qui in conciliis saepius graviter castigantur, consentaneum. Justitiam rex non semper servasse videtur, cum interdum favore quorundam hominum ductus aliis injurias inferret, quales Adalgario Hamburgensi atque Egilmaro Osnabruggensi episcopis. Fortitudine certe summa a patribus accepta excelluit, cujus ductu et Roma urbs expugnata est et Normanni loco munitissimo in fugam conversi sunt et dum ipse morbo jam opprimitur, auctor seditionis in ordinem coactus est. Nec quamvis optimates magnam necessario rerum progressu arripuissent potestatem, auctoritatem ejus in imperio parvi aestimatam esse, cum fortiter homines turbulenti ac seditiosi comprimerentur, quaerelae docent concilii Maguntiacensis, Triburiae nequaquam pari studio repetitae; multi enim sub eo motus allati sunt reipublicae, qui profecto non omnes in nostrum venerunt notitiam, sed cuncti infelicem et consciis eorum fatalem habuerunt exitum.

---

1) Mon. Boic XXXI, 165 (Boehmer 1181).
2) Herim. Chron. 900 „Ratisbonae, ubi frequentius manebat."
3) Pertz SS. II, 92.

Liudprandus, qui sexaginta annis post scripsit, Arnulfum criminatur, eum virtuti suae cuncta tribuentem, non debitum omnipotenti Deo honorem reddidisse, sed huic auctori parum locupleti in hac re nulla fides est habenda. Ex familiaribus regis consiliariis, quos plerosque clericos fuisse, chartae demonstrant, Theotmarum archicancellarium, Aspertum, Engelmarum, Vichingum, Adalperonem, Hattonem, Salomonem supra jam nominavimus; iis etiam Erchanboldus episcopus Eichstaedtensis [1]) adjiciendus est „prudentissimus ac sagacissimus in omnibus negotiis" [2]), sub cujus regimine reliquiae St. Walpurgis Eichstadtio in monasterium puellarum Monheim, ab abbatissa Liubila administratum translatae sunt. Attamen nobilium quoque complures saepius ab Arnulfo in consilium adhibitos esse, exempla docent et fratrum Conradinorum et Liutboldi ab illo e tenebris in lucem vocati. Etiam Sigihardus et ipse regis consanguineus [3]), comes pagi Chiemgowe [4]), vir „praepotentissimus, genere spectabilis, morumque honestate praeclarus et nomine nulli in actu militari secundus" [5]), qui civitatem Ebersbergensem condidit, magnam ab imperatore, qui multa eis bona donavit,

---

1) Mon. Boic. XXXI, 123, 130, 147, XXVIII, 108.

2) Vita St. Walpurgis l. l. p. 525, Anonym. Haserensis c. 8 (Pertz SS. VII, 256).

3) Mon. Boic. XXVIII, 111 „cuidam dilecto comiti et propinquo nostro nomine Sigihardo" (Boehmer, 1122); ib. p. 116 „cuidam dilecto comiti et fideli propinquo nostro cui nomen Sigihart." (Boehmer 1136). —

4) Mon. Boic. XXVIII, 180 „in pago Chiemihgowe in comitatu Sigihardi".

5) Anonymi Eberspergensis Chron. Ebersp. antiquius ap. Oefele SS. rerum Boicar. II, 4.

gratiam iniisse videtur [1]). Cujus filium Ratholdum, ex Gattina sublatum, qui postea Carinthiae praefuisse fertur [2]), Leibnitius [3]) perperam eundem esse opinatus est ac Ratolfum nothum Arnulfi filium. Praeter illos mentione Isingrimi comitis alio loco illata, Iringus hic laudandus est, cujus interventu nonnullae concessae sunt tabulae [4]) „comes honorabilis et dilectus ministerialis", a quo nisi me fallit pagus Salzburggowe administratus est [5]). Heimonem denique ministerialem [6]) et ipsum rex favore amplexus est, cum uxori ejus Miltrudae duas faceret donationes ipsique in marca orientali oppidum exstruere permitteret [7]); fungebatur autem ille pincernae munere [8]). —

Arnulfi gubernatio, si uno in conspectu totam videmus, non tam iis rebus magni est momenti, quas egregie fecit, quam iis, quas vel ex industria fieri sivit vel impedire non potuit, non tam Normannorum clade aut Italiae expugnatione, quam Ungarorum adventu atquo Odonis electione non prohibita Rerum enim Franciae orientalis status, ex bellis domesticis filiorum Ludovici Pii magis magisque labefactatus brevi duodecim annorum tempore, quo ille regnavit, non valde mutatus est ac mea quidem sententia in errore ducuntur, qui ob seditionem, qua regnum adeptus est,

---

1) Boehmer 1027, 1122, 1132, 1136.

2) Anonym. Ebersperg. p. 5. 3) Annal. Imp. II, 182.

4) Miraei opp. diplom. I, 680. Mon. Boic. XXXI, 1, 135, Neugart I, 475, Mon. Boic. XXVIII, 114, (Boehmer 1069, 1076, 1132).

5) Dipl. ap. Hund. metrop. Salisburg. II, 105, „in comitatu Jungi (leg. Iringi), in loco — Talhusen". Talahusa autem (Thalhausen) in pago Salzburggowe sita erat cfr. Buchner Docum. II, 56. 6) Boehmer 1049, 1050. 7) Juvavia p. 118.

8) ibid. p. 108 (Boehmer 1050) „Heimonis dilecti poticularii nostri". —

ex illius aetate reges a populo creatos Germaniae praefuisse opinantur. Omnes potius aequales, eum legitimum esse imperii haeredem semper credebant, cum etiam eo mortuo in summo rei publicae discrimine filio ejus septem annos nato coronam imponerent; quod idem caeteris quoque populis persuasum fuisse, et Fulconis docet epistola et Berengarii, Odonis, Rudolfi, Ludovici deditiones. Omnes illi reguli, Carolo Simplici excepto, contra instituta majorum seditionem concitaverunt, Arnulfus solus, simulac Carolus III imperator obiit, legitimus fuit rex. Dum igitur, Burgundiam in formam provinciae redigere conatus, in Italia ea ratione dominari studet, qua postea imperatores Saxonici et Salici, Franciae occidentalis coronam sibi oblatam repudiavit, eamque ob causam maxime divisio Germanorum et Francogallorum, quae tunc temporis linguarum diversitate efficiente, sentiri modo nondum sciri coepit ac magis odio exterorum quam amore suorum civium se exhibuit, stabilis permansit. Cum ergo patriae nostrae fines natura ipsa praescripti ab illo, cui majora patebant, sedulo servati sunt, ab hac aetate quinque Francorum orientalium gentes, quae Theodisca lingua utebantur, plerumque iisdem fere terminis inclusae, in nationis unius corpus coaluerunt, quae a communis linguae vinculo Theodisca nominabatur. Arnulfus denique invictum Suatoplucum quidem non superavit, sed eo mortuo vires regni Moravici Bohemos Sorabosque sibi ad foedus adsciscens et fratri contra fratrem adjumentum afferens, adeo imminuit, ut Ungaris hoc gravissimo impedimento e medio sublato, via progrediendi aperiretur. Et quamquam calamitas ab iis patriae illata major fuit, quam ulla alia, quam unquam toleravit, difficile est

dictu, utrum haec gens aliquando fortissima contra Turcarum impetum adjutrix, nobis periculosior fuerit, an Moravorum imperium a pontificibus Romanis ipsis fotum atque in medio nationis Slavicae conditum, quae tunc a mari Suevico usque ad Taenarium promontorium continuo habitabat. —

Tempus jam adest opusculo nostro, quomodocunque confectum est, finem imponere, id nobis moleste ferentibus, quod rerum a tanto viro gestarum non continua narratio sed nuda, ut ita dicam, ac singularia facta vel etiam vestigia factorum, magna cum difficultate perscrutanda ad nostram pervenerunt aetatem. Licet multae profecto illius temporis chartae in scriniis etiamnunc lateant atque otio quasi fruantur, quibus aliquando feliciori veri investigatori uti licebit, summa tamen rerum eadem fere semper manebit, et minime curiositati nostrae satisfacere potest. Nemo autem mihi adolescentulo atque in scientia historica tironi crimini det, quod saepius virorum et auctoritate et acumine ingenii et doctrina magnopere superiorum opiniones redarguere ausus sum, cum non animus arrogantia inflatus et vanitati inserviens, verum ardor quidam, quo ad altissimam illam Deam ad Veritatem ipsam unice adorandam — quae semper mihi propitia sit! — ferebar, ad id non dicam me volentem induxit sed nolentem coegit. Ab omni autem de universa ratione, qua antecessores mei hujus temporis res animo conceperunt, judicio ferendo ex industria me abstinui, id modo agens, ut errores eorum corrigerem. Neque ipse, philosophi partibus susceptis, quamvis nimis cupiditate flagrarem, de eo disceptare tentavi, quem locum Arnulfus in historia populi nostri, quam nonnulli haud immerito ab eo ordiri voluerunt,

obtineret necesse esset. Sed haec omnia futuro potius rerum ab Arnulfo gestarum scriptori curae erunt, quem aliquid utilitatis ex hac commentatione critica capturum esse, spero. De gloriola mea talis viri opere, quo copiose ac luculenter hujus temporis historia enarretur mox evanitura, id mihi facile solatio esse posset, quod vix ullum hominem unquam ulla dissertatio doctoris dignitatem auspicatura ex obscuro celebrem fecit. —

Appendix I.

De fontibus in hac commentatione adhibitis.

Inter omnes, qui de temporibus Arnulfi regis posteritati nonnulla tradiderunt, primum locum annalium Fuldensium pars quinta obtinet, quam vix Einhardo et Hincmaro excellentissimis saeculi IX scriptoribus posthaberi velim. Cujus auctorem anonymum non monachum Fuldensem, sed natione Bavarum fuisse, quippe qui in rebus Bavaricis maxime versetur, Pertzius [1]) recte demonstravit, sed mihi quoque valde probabile esse videtur, eum non solum in Bavaria in regis vicinitate habitasse, verum etiam, cum de pugna Luvaniensi, de duabus expeditionibus Italicis sicut testis oculatus sit instructus idemque omnes legationes ab Arnulfo auditas accurratissime referat, etiam ejus in itineribus comitem atque ex ministerialibus regiis fuisse. Quam eandem opinionem secutus Eckhartus [2]) cancellarios ipsos Aspertum, Wichingum, Engilperonem annales illos composuisse conjecit, nullis aliis rationibus hanc rem argumentatus. Quamquam ex nonnullis auctoris nostri verbis apparet, eum opere confecto, com-

1) SS. I, p. 339. 2) Comment. II, 722, 784.

plures etiamtunc annos vixisse [1]), res gestas tamen brevi post evoluto tempore enarrasse videtur, unde perraro in erroribus chronologicis versatur. Anno quidem 884, quae trium annorum spatio in finibus orientalibus acciderunt complectitur, sed modo ut continuo narrando belli causas et eventum melius omnibus aperiat. Contionem populi a. 890 Forchheimii habitam cum ea, quae ibidem anno praecedente convocata est confundit, Muratorio [2]) id jam observante, cum in illa Ermengardam ad regem venisse referat, quod ex charta quadam in hac accidisse patet. Magis est mirandum, quod scriptor Fuldensis a. 896 longam de Ungaris et Bulgaris inter se digladiantibus profert narrationem, rerum a. 893 — 895 gestarum tam similem, ut ad eas referatur necesse sit, praesertim cum de aliis certaminibus hoc tempore actis nulla fiat mentio. Quocirca admodum est verisimile, auctorem, qui anno praecedente famam secutus breviter bellum illud attigerat, praesenti meliorem ejus scientiam nactum atque id ab illo diversum esse ratum, iterum ejus mentionem intulisse. Fontem vero, quo a. 896 usus est, Graecum fuisse, ex eo concludere velim, quod ille „Bulgaros penitenciam de inlata christianis injuria" egisse, Leo autem imperator [3]) simili ratione, Graecos cum Bulgaris ejusdem fidei confessoribus confligere nolentes Ungaros paganos iis immisisse, dicat, nec fore, ut a veritate multum aberrem,

---

1) a. 900. de prima Ungarorum expeditione Bavarica dicit: „Quod, pro dolor! primum malum, et cunctis retro transactis diebus invisum dampnum Bajoarici regni contulit."

2) Annali d'Ital. V, 194.

3) Tactica c. 18, §. 43. (ed. Meursius p. 287) „ἵνα μὴ ἔχοντας Ῥωμαῖοι χριστιανοὶ χριστιανῶν Βουλγάρων αἵμασι χραίνοιντο." —

spero, si Leonis legatum, Lazarum episcopum, qui hoc anno Arnulfum Ratisbonae adiens paucos dies ibi moratus est, fontem illum fuisse conjicio. Narratio ipsa ab erroribus non vacat, quia nonnulla fortasse Graecus dedita opera finxit, nonnulla Germanus non recte intellexit. Mors quoque Arnulfi imperatoris sub anno 900 demum refertur. Nonnulla, quae de rebus loco loginquo gestis traduntur, sine dubio ex vulgi rumoribus hausta sunt, sicut Zuentebaldi finis, expeditio Ungarorum Italica [1]), certamina Ungarorum ac Bulgarorum [2]). Plerumque scriptor Fuldensis nullo partium studio ductus lectori judicium relinquit, cum iram modo contra Suatoplucum conceptam continere vix possit [3]). —

Regino abbas Prumiensis, Alteipii ad Rhenum natus, qui a. 899 ex monasterio suo pulsus, in coenobio St. Maximini Trevirensi, ubi a. 915 mortuus est [4]), inter annos 900 et 907 chronicon suum confecit, sermone quidem usus magis Latino atque elegantiore, quam auctor annalium Fuldensium, sed praeter res in Francia occidentali et Lotharingia gestas non eadem fide dignus, quippe qui de iis, quae in oriente acciderunt interdum fabulas enarret atque erroribus chronologicis abundet. Ita Rastislavi deditionem a. 870 factam, sub anno 860, Ludovici Burgundici expeditionem Italicam a. 901 susceptam, s. a. 896, Ungarorum bellum a. 899 in Italia gestum s. a. 901 refert. Imprimis ei moris est, ut rerum per plures annos gestarum sub uno, quem suo arbitratu eligit, complectatur universam rationem; hoc igitur modo omnia, quae

1) a. 900. 2) a. 895. 3) a. 884, 894.
4) cfr. Archiv für ältere deutsche Geschichtsk. III, 291.

de prioribus Ungarorum migrationibus vel de moribus eorum exploraverat, a. 889 assignavit; bellum ab Arnulfo et Zuentebaldo contra Rudolfum Burgundiae regem susceptum, quod a. 894 initium sumpsit, a. 888 jam amplexus est; sub anno 897, in quo prima inter filios Heinrici et fratres Conradinos discordiae semina sparsa sunt, de totius illorum belli civilis, quod a. 906 confectum est, modo et exitu disseruit. De rebus autem orientalibus sibi admodum loginquis nimis credulus fabulas nonnunquam retulit, sicut de Bohemia ab Arnulfo Suatopluco dona data, de Michaële Borise, cui annis 879 — 881 complures inscripsit Johannes VIII epistolas [1]), a. 868 filio regnum tradente, quem mox ipse oculis orbasset. Attamen magnopere est dolendum, quod Regino, timore potentium Lotharingiae comitum sibi infensorum prohibitus, summam tantum rerum, quae suo tempore factae sunt breviter perstrinxit, ab omni judicio sibi temperans. De quo ipse haec facit verba: [2]) „De modernis temporibus idcirco reticere disposuismus, quia si veritatem rerum gestarum, ad liquidum stylo executi fuerimus, proculdubio odium et offensam quorundam, qui adhuc superstites sunt, incurremus, si autem a veritate recedentes aliter quam causa se habeat scripserimus, nihilominus adulationis et mendacii notam incurremus, quia omnibus pene res cognita est. Posteris ergo hoc latius explanandum relinquimus." Sed ne sic quidem chronica ejus integra ad nos pervenit, ex qua in omnibus codicibus locus ille, quo auctor injuste se expulsum esse exposuerat, erasus est.

1) No. 75, 77, 189, 192, 287, 291, 312 (Mansi XVII p. 62, 66, 128, 131, 211, 217, 225).

2) a. 892 (Pertz SS. I, 604) cfr. Praefat. (p. 543).

Annales Vedastini, qui ab aequali conscripti ad annum 900 usque extenduntur et in rebus Franciae occidentalis solummodo versantur, magni sunt pretii et fide admodum digni. Uno tamen loco eorum vitium scribae in eos irrepsisse videtur, cum a. 891 pro „circa autumni vera tempora" „circa autem veris tempora" necessario est legendum, quod eo magis probabile est, quia chronicon de gestis Nortmannorum ex his annalibus verbotenus excerptum „circa autem autumni tempora" habet [1]). Auctor enim antea de hibernis Normannorum (890 — 891) locutus, loco illo sub anno 891 interposito, ita dicere pergit: „ibique (i. e. locis maritimis, quos ex verbis ejus „circa autumni tempora" petierant!) toto aestivo tempore morati sunt", ac deinde, ubi sequentem transegerint hiemem exponit. Ex quo narrandi ordine dilucide apparet, regiones maritimas ab illis tempore verno petitas esse. Liudprandi episcopi Cremonensis porro mentio est facienda, cujus permultos errores refutare paene prorsus supersedere potui, cum id luculenter in Koepkii de eo commentatione doctissima factum sit, ex qua magnos me percepisse fructus grato animo confiteor. —

Nec minus caute quam Liudprandus, panegyristes Berengarii adhibendus est, homo quidem aequalis, qui Latini sermonis bene gnarus inter annos 916 et 924 opus suum confecit, sed cui non historiam temporis sui conscribere, sed laudes principis dicere in animo erat; quare multis memoratu dignissimis omissis multa quoque finxit, quae pleraque Hadrianus Valesius [2]) in notis suis jam confutavit. Haud recte igitur auctor

1) Pertz SS. I, 536.

2) ap. Murat. SS. rer. Ital. II, 1.

noster, omnibus aliis scriptoribus tacentibus, Carolum Crassum refert morientem regnum Italicum ipsum Berengario tradidisse [1]), id consilium secutus, ut regi suo jus quoddam vindicaret, Widoni quasi alieni regni invasori omne abrogaret. Sed uterque aemulus pari usus est jure i. e. nullo. Magis ad veritatem accedunt, quae de duobus narrat proeliis, alteriusque descriptio vel potius principum ab utraque parte stantium praeconium magni est momenti, verum sicut multa alia in hoc poemate difficilis explicatu. Plerumque committit peccata in Arnulfi expeditionibus Italicis, ex quibus in unam confusis nihil aliud tradit, quam Bergomi et Romae expugnationes. Qua peracta imperator, qui administer tantum Berengarii votum quoddam dissoluturus urbem ceperat, jam inutilis in Germaniam rediit [2]). Lamberti etiam et Berengarii conventum Ticini factum panegyristes hoc modo tradit, tamquam hic illi misericordia motus partem regni, quod legitime obtinuerat dono dedisset [3]); cujus contrarium propius ad veritatem accederet.

Ex scriptoribus Byzantinis hic praecipue Constantinus Porphyrogenitus est laudandus, qui annis 949 — 951 librum de administrando imperio ad filium suum Romanum scripsit. Hic scientia gentium orientalium excellet admodum pretiosa, sed adeo est confusus ac turbatus ut potius collectio videatur esse notationum singularium, quam opus bene compositum. Interdum enim de eadem re variae traduntur narrationes eaeque etiam contrariae, sicut de Slavis Dalmatiam expugnantibus [4]), de prioribus Ungarorum sedibus [5]), quae multos veri investigatores jam induxerunt, de

1) I, 64 sqq. 2) III, 145 sqq. 3) III, 235.
4) c. 29, c. 30. 5) c. 37, 38, 40.

filiis Arpadii [1]) aliisque. Plerumque imperator, qui modo pauca ex historiarum scriptoribus deprompsit, ac de temporibus antiquis saepius in erroribus versatur [2]), ex relationibus legatorum vel ab exteris gentibus ad se missorum, vel a se ipso ad alienas nationes hausisse videtur, quare ex notis quibusdam, eum in capite 26 de genealogia conspicui regis Hugonis Liutprandum, qui a. 949 in aula byzantina moratus est testem secutum esse crediderim [3]). De magnae Moraviae nomine, quod in libro de administrando imperio saepius occurrit [4]), a viris doctis diu disceptatum est, licet a Constantino solo usurparetur nec Slavis aut Francis id cognitum fuisse verisimile esset. Qui cum etiam de magna Croatia [5]) ac de magna Francia [6]) loquatur, illo nomine profecto Pannoniam a Moravis et cultam et gubernatam a Moravia, quae proprie sic dicebatur, distinguere voluit. —

Neque auctor anonymus silentio nobis transeundus est, qui horum temporum aequalis non ante annum 934 [7]) vitam St. Clementis, Methodii discipuli, qui a Vichingo expulsus, postea episcopatum Bulgaricum assecutus est, Graeca lingua descripsit. Quamquam hic scriptor admodum est vehemens et miraculis credulus eique Graecorum modo quaestiones jejunae de argutiis theologicis habitae maxime cordi

---

1) c. 40. 2) cfr. c. 27.
3) Nisi haec a legatis Graecis a. 943 in Italiam missis didicit (Liudp. ant. V, 14). 4) c. 13, 38, 40.
5) c. 32. 6) c. 26.
7) cfr. c 29. (p. 34) Scripsit opus suum post annum 906, quo Clemens mortuus est „ὅ τε Σκυθικὴ μάχαιρα Βουλγαρικῶν αἱμάτων ἐμέθυσεν." Ungari autem primo a. 934 in Graeciam irruperunt.

sunt, non pauca tamen, quae historiae summae utilitati sunt memoriae prodidit. Unum praecipue locum ejus hic laudare volo, qui si recte intelligitur magnam rebus Bulgaricis hoc tempore valde obscuris lucem, qui affundat idoneus est. Verba autem auctoris, de quibus loquor haec sunt [1]): *καὶ ταῦτα* (i. e. administrationem spiritualem regionis Cutmitzibitzae) *Κλήμης δι' ὅλων ἕπτα ἐνιαυτῶν* (ex tempore illo, quo ex Moravia expulsus est) *κατειργάσατο. ἤδη δὲ ὄγδοον τε ἦν αὐτῷ τῆς διδασκαλίας ἔτος, καὶ ὕστερόν τῆς ζωῆς τῷ τοῦ Θεοῦ δούλῳ Μιχαὴλ τῷ Βορίσῃ — διαδέχεται δὲ τὴν ἀρχὴν ὁ τούτου υἱὸς Βλαδίμηρος, τέταρτον δὲ ἔτος ἐπιβιοὺς τῇ ἀρχῇ, ἐξ ἀνθρώπων ἐγένετο καὶ κληρονόμος πάντων ὁ ἀδελφὸς αὐτῷ Συμέων* (a quo, pergit auctor, virtutum ejus laudibus in coelum sublatis) *ἐπίσκοπος Δρεμβίτζας ἤτοι Βελίτζας προβάλλεται, καὶ οὕτω δὴ Βουλγάρῳ γλώσσῃ πρῶτος ἐπίσκοπος ὁ Κλήμης καθίσταται.*" Omnia in hoc loco explicando in eo posita sunt, quomodo verbum *ὕστερον* duplicem sensum admittens, a nobis intelligatur; si enim *ὕστερον τῆς ζωῆς* vitam (i. e. mortem) sequens interpretemur, septimo post Clementis in Bulgariam migrationem anno Michaelem mortuum esse oportet, Symeonem autem, cum Clemens non ante Stephani II papae electionem, mense Septembri a. 885 factam e Moravia expulsus esset, a. 896 demum ex hac computatione regnum adeptum esse, quod quantopere cum aliorum scriptorum testimoniis supra allatis pugnet, longum est explicare. Verum res prorsus aliter se habet, si *ὕστερον*, quod haud minus genio Graecae linguae aptum est, posteriorem significare, opinemur totumque locum ita

1) c. 18 — 20 (p. 25).

Latine vertamus: „Et haec quidem per integros septem annos operabatur. Jamque ei octavus praecepta tradenti erat annus et posterior vita (i. e. morte) Michaeli Dei servo (excipit vero principatum filius ejus, Vladimirus; per quattuor annos rerum potitus, de vivis excessit). Haeres omnium factus est, frater ejus Symeon." Auctori in res tantum ecclesiasticas incumbenti non id definire cordi erat, quamdiu Bulgariae principes regnassent, sed potius quando Clemens primus Bulgaricae linguae episcopus fuisset constitutus; eam ob causam non propter Vladimiri regni primordia octavus ille annus ex Clementis expulsione, et primus pariter episcopatus ei magni est momenti. Si igitur a. 885 exeunte vel 886 ineunte post Methodii mortem discipulos ejus in exsilium actos esse pro certo habemus, Michaele a. 889 mortuo, Symeon a. 893 regnare coeperit necesse est; quae omnia cum iis, quae supra exposuimus optime congruunt. —

Venio tandem ad anonymum Belae regis notarium, quem a multis praecipuum esse rerum hujus temporis Ungaricarum fontem creditum esse jam diximus. Hoc loco autem mihi non propositum est, ut de aetate, de scriptoribus quibus usus est, de fide ejus historica plene disseram, sed ut nonnulla ejus vitia non facile excusanda enumerem. Cum enim de plerisque, quae refert, nulla alia exstent testimonia, tum pauca ejus, quae cum aliis comparare possunt, erroribus sunt referta. Ac primo quidem id valde notatu dignum est, quod neque Arnulfum, nec Suatoplucum, nec Symeonem, nec Leonem, nec Brazlavonem, quos Ungari in terrae invasione primo noverunt, unquam nominat atque in locum eorum, quos omnino cognoscere non videtur, alios principes, Salanum, Me-

nomorouturn, Gladum, Geloum alias prorsus ignotos substituit. Porro ab eo falso narrantur:

1., Ungaros, quos a Patzinacis in exsilium pulsos esse, scimus, ex Scythia egressos esse, quia terra „multitudinem populorum inibi generatorum nec alere sufficiebat, nec capere" [1]).

2., Ungaros, Almum patrem Arpadii primum elegisse ducem [2]). Constantinus [3]) autem tradit, Salmutzem Arpadii parentem unum tantum ex septem illorum boebodis fuisse, cujus filius demum primus ab iis dux creatus est.

3., Cumanos saeculo IX jam in meridionalibus Sarmatiae partibus habitasse et ab Ungaris in foedus adscitos esse [4]), quibuscum revera saeculo XI primo congressi sunt [5]).

4., Civitatem Kieviensem Ungaris tributum solvisse [6]), quam tunc potentissimam ipsi ex Nestoris testimonio profugi transierunt [7]).

5., Ungaros, antequam proelia contra Bulgaros committerent, Nitram oppidum et regionem vicinam expugnasse [8]). Pannonia vero ab iis a. 900 demum occupata est et meridionalis Moraviae pars sine dubio tempore posteriori. In eo quoque auctor noster a vero aberrat, quod duci Bohemorum hanc terram obtemperavisse dicit neque intelligere possum, cur in locis ab Ungaris primo expugnatis de „infidelibus" loquatur [9]).

---

1) c. 1. (ed. Endlicher p. 96). 2) c. 8 (p. 98.)
3) c. 38. 4) c. 8 — 10.
5) Zeuss die Deutschen u. ihre Nachbarstämme p. 748 cfr. Nestor ed. Schloezer III, 133.
6) c. 9.
7) Nestor. III, p. 108, 138. 8) c. 33 — 37.
9) c. 37 p. 148.

6., Diversa bella ab Ungaris contra Bulgaros et Graecos eorumque socios gesta esse [1]). Sed omnes scriptores Byzantini in eo consentiunt, quod Graeci ipsi cum Ungaris conjuncti contra Bulgaros dimicaverint.

7., Lelu et Bulsu principes Ungaricos primae expeditioni contra Bulgaros a. 893 susceptae praefuisse [2]), quos plus quam sexaginta annis post a. 955 ad Licum contra Germanos pugnavisse scimus [3]).

8., Eodem tempore „ex falsis fabulis rusticorum" Ungaros Constantinopolim usque progressos esse [4]), quo a. 934 primo pervenerunt [5]).

9., Totam Croatiam cum urbe Aspalatho ab iis subjectam esse [6]), quam tunc, Constantino teste [7]), Graeci integram possidebant. Colomanus rex saeculo XII ineunte eam primo expugnavit.

10., Arpadium a. 903 [8]) vel 893, ut Katona [9]) emendare voluit, Pannoniam ipsam ingressum, compluribus annis post, ea paene tota in ditionem redacta, filium Zaltan [10]) genuisse, qui patre a. 907 moriente ipse tredecim annos natus (!) uxorem duxit [11]). —

11., Bulsu filium Bogat fuisse [12]), cujus patrem Constantinus [13]) aequalis ejus Cale vocat.

12., Taxim comas habuisse sicut leonem [14]). At Ungari tunc temporis ex Reginonis [15]), Liudprandi [16]),

1) c. 38 — 42, 45. 2) c. 41.

3) Ann. Sangall. maj. a. 955, Cedreni Historiar. Compend. ed. Becker II, 328. 4) c. 42.

5) Theophan. continuat. VI, 37. (p. 422.) —

6) c. 42, 57. 7) de adm. imp. c. 29 — 31. 8) c. 14.

9) Hist. critica primor. Hungar. ducum. p. 151.

10) c. 50. 11) c. 51 — 52. 12) c. 39. 13) c. 40.

14) c. 55. 15) Reg. 889. 16) Legatio Constantinop. c. 19 „Bulgarorum nuntium, Ungarico more tonsum." —

Theotmari [1]) testimoniis capillos „usque ad cutem" abscidere solebant.

13., Taxim Zaltae in regno successisse [2]). Constantinus [3]) autem tradit, suo tempore (a. 950) Phaltzim seniorem Taxis consobrinum Ungaris praefuisse.

In capitibus 53 — 57 auctor noster Reginone ejusque continuatore fontibus praecipue usus, expeditiones Ungarorum, quibus Germania, Italia, Gallia devastatae sunt hoc modo narrat: Caput 53 paene totum ex Reginone (a. 901) exscriptum est; dum autem hic Stephanum Walonis fratrem „a quodam" dolose interfectum esse tradit, ille eum „a quodam Hungaro" percussum esse dicit. Admirandus est sane amor patriae anonymi nostri, qui ne a mendacio quidem abhorret, ut Ungaris hanc gloriam vindicet, quod hominem noctu „in secessu" residentem sagitta venenata necaverint. Capite 54 ea, quae continuator Reginonis per duos annos digessit (909, 910), in unum contraxit. In c. 55 cum Ungarorum clade a. 913 ad Aenum accepta, Lelu et Bulsu supplicium, quod post pugnam Augustensem a. 955 factam esse annalibus Sangallensibus certe scimus, conjunxit. Tum, expeditionibus annorum 915 et 917 confusis, Erchangeri et Bertholdi necem, quam sub eodem anno in continuatione Reginonis invenit, suo arbitratu Ungaris adscripsit. Deinde pergit ita: „Hinc (a. 917) vero egressi, Franciam et Galliam expugnaverunt (de vastatione anni 926 cogitat), et dum inde victores reverterentur, ex insidiis Saxonum magna strage perierunt (de hac strage s. a.

---

1) Boczek cod. dipl. mor. I, 60 „more eorum (i. e. Ungarorum) capita suorum pseudochristianorum penitus detonderunt." cfr. Thwrocz II, 39 p. 105.

2) c. 57. 3) c. 40.

934 continuator Reginonis loquitur!). Taxi a. 931 procreato, eodem anno Ottonis regis inimicos ab Ungaris subsidia petivisse dicit, ea quae s. a. 953 continuator Reginonis narrat, huc referens. Sequitur denique mendax pugnae ad Licum (juxta Rhenum ex illius opinione) commissae descriptio, quam in gloriosam Ungarorum victoriam mutat, de Botondio principe ejusque reditu iisdem prorsus relatis, quae supra de proelio ad Aenum fluvium collata narraverat. Considerantibus nobis, quanta peccata, modo demonstrata ab anonymo commissa sint ac perpendentibus totam expugnationis rationem ab eo non recte conceptam esse, Schloezerus [1]) et Palackyus [2]) vix in errore versati esse videbuntur, illum fabulas Milesias finxisse opinantes. —

1) Nestor III, p. 123 sqq.
2) Gesch. v. Boehmen I, 150 adn. 119, 155 adn. 124. —

Appendix II.

De chartis ab Arnulfo rege datis.

Arnulfus, quamdiu regnavit, uno eodemque archicancellario seu archicapellano usus est Theotmaro archiepiscopo Juvavensi, qui etiam sub Carolomanno rege et Ludovico Infante hoc munere functus est. Cancellarium primis regni annis rex Aspertum ac post eum ab anno 893 usque ad mortem Vichingum adhibuit, cui utrique interdum archicancellarii nomen quoque imponitur [1]. Praeterea Engilpero atque Ernestus, qui etiam cancellarius vocatur, sub Arnulfo ac post mortem ejus sub Ludovico IV notarii in chartis occurrunt.

Venio jam ad tabulas nonnullas accuratius perlustrandas, quae aut manifesto adulterinae sunt, aut certe valde suspectae. I. Arnulfus confirmat Egilmaro episcopo Osnabruggensi immunitatem et decimas episcopatus ejus a. 889 die 13. Febr. m. Francofurti [2]. De hac charta a. 889 „interventu amantissimae prolis nostrae Ludovici" (nondum concepti!) data fusius disserere supervacaneum est, quia Erhardus [3]) eam spu-

1) Boehmer, 1068, „Aspertus venerabilis ac dilectus archicancellarius noster"; 1109 — 1111.

2) Boehmer, 1066; Moeser Osnabrück. Gesch. I, 415.

3) Reg. histor. Westfal. I, 115.

riam esse jam satis demonstravit. Qui idem duas alias tabulas, a. 889 et 895 Egilmaro concessas, quas Boehmerus omisit, item suppositas esse, probavit [1]).

II. Arnulfus rex confirmat archiepiscopatui Juvavensi, Diotmaro archiepiscopo deprecante, multas possessiones, quarum nomina produntur, in Oriente, Carinthia, Pannonia sitas. XII Kal. Dec. ind. VIII (i. e. a. 890) Matahhova villa regia [2]). Hanc chartam, cujus exemplar tantum exstat, adulterinam esse ex eo satis elucet, quod, licet a. 890 data sit, „signum domni Arnolfi serenissimi imperatoris" subtus impressum est, quod „Hebarhardus notarius ad vicem Grimaldi archicapellani" ei subscripserunt, qui hoc munere sub Ludovico Germanico non sub Arnulfo fungebantur, quod Arnulfus „in origentali Francia" regnasse dicitur; quae formula item non huic sed Ludovico Germanico propria est; quod denique complures fundi ecclesiae Juvavensi ea confirmantur, qui tabula non suspecta anno sequenti primo illi donati sunt [3]). Omnes, quae in hac tabula nominantur possessiones, tribus diplomatibus archiepiscopatui Juvavensi erant donatae, quorum primum datum est XII. Kal. Dec. a. XXVIIII Ludovici regis (i. e. 861) ind. VIII Matahhova villa regia [4]) atque et ipsum suppositum esse videtur. Initium ejus ac finis verbotenus illi, quod Arnulfus a. 890 dedit consona sunt. Alterum signatum est XII. Kal. Dec. a. XXXXIIII Ludovici regis (hoc tempore jam non vixit) ind. VIIII Matahhova villa regia [5]). Subscripsit Engil-

1) ib. 116, 118.

2) Boehmer, 1084; Kleinmayrn Juvavia, Anh. 112.

3) Boehmer, 1089, Juvavia, 116.

4) Boehmer, 800, Juvavia, 95 cf. Archiv für aeltere d. Geschichtskunde V, 323.

5) Juvavia p. 100. No. 42.

pero notarius ad vicem Theotmari, cujus nomen aperte indicat, hanc tabulam postea demum esse adulteratam. Tertium diploma ad quod illud Arnulfi referendum est, non ipsum ad nos pervenit, sed confirmatio tantum ejus ab Ottone II a. 982 concessa [1]. Tabula autem spuria a. 890 data a principibus posterioribus, Ottone II [2], Heinrico III [3], Heinrico IV [4], Philippo II [5]) repetita est, ita ut vel iisdem verbis utantur; hoc loco autem explorari non potest, quot harum chartarum genuinae sint vel quando revera omnes illae possessiones confirmatione diplomatum suppositorum ecclesiae Juvavensi obtigerint. —

III. Arnulfus imperator curtem Ruiti ad monasterium St. Michaelis juxta Matheseo tradit, pro qua ex rebus monasterii Otingae, ad sedem Bataviensem jure perpetuo pertinentis, praedium in Italia situm, quod Summus lacus nuncupatur recipit die 19. Aug. m. a. 898 Rantesdorf [6]. Haec charta, quae originalis speciem exhibere conatur, transsumpto saeculi XII simillima est [7]) atque eam ob causam mihi venit in suspicionem, quod in ea monasterium Ottingense episcopo Bataviensi subjectum esse dicitur. Carolomannus enim in villa regia Ottinga a. 877 coenobium St. Mariae et St. Philippo dedicatum construxit [8], quo 878 etiam ossa St. Maximiliani, St. Felicitatis aliorum transtulit [9]) ibique postea sepultus est. Idem et Carolus III [10]) et

1) ib. p. 206.
2) ib. p. 203. 3) p. 236.
4) p. 243. 5) Hund. metrop. Salisburg. I, 51.
6) Mon. Boic. XXXI, 150, (Boehmer, 1138).
7) ib. p. 152. 8) ib. p. 102.
9) ib. p. 109 (Boehmer, 866).
10) ib. p. 116.

Arnulfus monasterio illi multa donaverunt praedia atque hic saepius Ottingae, ubi Ludovicus IV natus est, commorabatur. Mirandum igitur esset, si rex locum illum, cui monasterium Matsee quoque additum erat [1]), episcopo Bataviensi tradidisset. Quocum id praecipue pugnare videtur, quod post illam, quae fertur donationem, Purchardus abbas Ottingensis in tabulis vocatur [2]), mentione episcopi nusquam injecta, et Arnulfus die 2. Julii mensis a. 899 [3]) coenobium Ottingense „capellam nostram" appellat. Ludovici autem diploma, quo die 17. Junii m. a. 907 donationem illam confirmavit [4]), quin interpolatum sit, dubitari vix nequit, cum in eo contra consuetudinem temporis coenobium Ottingense sine omni alia significatione „locus" nominetur. Anno 993 praeter alias episcopatus Bataviensis possessiones Otto III Ottingam quoque ei confirmavit [5]), quae a. 976 in tabula, in qua ab Ottone II fundi ejus enumerantur [6]) nondum occurrit. Inter hos ergo annos tabulae illae adulteratae sint necesse est neque abbates Ottingenses huic fraudi repugnare potuerunt, cum locus ab Ungaris destructus tunc in magnam inopiam esset redactus. Eodem tempore (a. 975) ac simili modo episcopi Batavienses etiam monasterium Cremisam (Kremsmünster) [7]) item ab Ungaris dirutum, sub suam subjunxerunt potestatem, tabula adulterina Arnulfi regis adhibita, licet hic Snelperonem abbatem ejus magno favore amplexus, praeter com-

1) ib. p. 101.
2) ib. p. 153, 164 (Boehmer, 1180).
3) ib. p. 158. 4) ib. p. 176.
5) Mon. Boic. XXVIII, 1, 249.
6) ib. p. 216.
7) Mon. Boic. XXXI, 223.

plures alias possessiones [1]) amplas quoque fratrum Guilelmi et Engilscalci fundos ei largitus erat [2]).

IV. Arnulfus imperator confirmat Wichingo episcopo immunitatem, possessiones, privilegia ecclesiae Bataviensis die 9. Sept. mens. a. 898 Ratisbonae [3]). Hanc chartam genuinam esse non posse, jam Filzius [4]) hoc argumento demonstravit, quod secundum eam Wichingus a. 898 episcopus fuerit, quem scriptor Fuldensis a. 899 creatum esse narrat; duae chartae minime suspectae, diebus 13. et 15. Decembr. mens. a. 898 datae [5]), hoc tempore Engelmarum, Wichingi antecessorem superstitem etiamtum fuisse docent. Tabula autem illa ab iis, qui archiepiscopatum Lauriacensem finxerunt ea ratione supposita est, ut ea exponeretur, quando archiepiscopus Lauriacensis Lauriaco castra Batava sedem transtulerit. Omnes autem Vivilonis, qui id fecisse dicitur, antecessores [6]) jam ecclesiae St. Stephani Bataviensi praefuerunt.

Silentio transeo nonnullas alias Arnulfi chartas a Boehmero quoque omissas, quae tam manifesto spuriae sunt [7]), ut longum sit ac supervacuum, hujus rei causas singulas enumerare. Superest denique, ut eas tabulas, quae in Boehmeri regestis Carolorum requiruntur, ante oculos lectoris proponam, omnes, quas invenire potui, colligens.

1) ib. 118, 120, 126, XXVIII, 87.

2) Rettenpacher annal. Cremifan. p. 43.

3) Mon. Boic. XXVIII, 119 (Boehmer, 1141).

4) Siebenter Bericht über das Museum Francisco-Carolinum, p. 72.

5) Mon. Boic. XXVIII, 123, Meichelbeck Hist. Frising. I, 147 (Boehmer 1146, 1147).

6) Mon. Boic. XXVIII, 2. p. 12, 35, 39, 63.

7) e. g. Dipl. ap. Dümgé Reg. Bad. p. 83; quod die 17. Febr. m. a. 895 Placentiae datum est, quo tempore regem in Bavaria resedisse novimus.

a. regni.	a. Christi.	locus.	
1.	888 (VI) Jan. 4.	Regina civitate	Arnulfus rex donat monasterio Cremisae curtem Niuvanhova in pago Trungowe cum omnibus pertinentiis, excipiens autem illud, quod prius Purchardo fideli regis, et Snelloni ejusdem monasterii abbati, per praeceptum donatum fuit. Mon. Boic. XXXI, 1, 118.
„	Jan. 5.	„ „	donat Snelperoni, abbati monasterii Cremisae omnem terram, quam prius ipse abbas in beneficium habuit, in loco Nezzilapach in pago Trungowe, in comitatu Arbonis. Mon. Boic. XXXI, 1, 120.
„	Febr. 8.	„ „	donat Engilfrido cuidam, vasso comitis sui Adalharti, hobam unam in villa Wolfheresdorf in pago Tunnahgowe in comitatu Chuniberti, ad dies vitae ejus liberam ab omni census persolutione, post obitum autem posteri ejus cum eodem servitio, sicuti antea ex eadem hoba priores fecerant, in potestatem monasterii St. Mariae Pataviae constructi redigantur. Mon. Boic. XXXI, 122.

a. regni.	a. Christi.	locus.	
1.	888 (VI) Febr. 9.	Regina civitati	donat Wiganto vasso cuidam Hildegardae neptis suae nonnullas res, quas Deotrich et Gozuvin antea in beneficio habuerunt, in pago Puohunna, in comitatu filiorum Heinrici comitis in loco Taftaha. Schannat Tradit. Fuldenses p. 380.
„	„ 23.		
	„ 23.	Aterhove	tradit ad preces Erkenboldi episcopi Eichstaedtensis abbatiam Hasarieda cum ejus pertinentiis episcopatui. Mon. Boic. XXXI, 123.
„	April 1.	ad monasterium St. Floriani	donat Snelperoni abbati suo, tres hobas dominicales juxta rivum Scalaha in comitatu Arbonis, quas antea duo Slavi Wartman et Saxo tenuerunt. Mon Boic. XXXI, 126.
„	„ 13.	Regina civitate	donat Zazkoni venerabili et religioso capellano suo res, quas hactenus ad Welas habuit in beneficio. Rettenpacher annal. Cremifan. 41.
„	Juni 8.	Franchonofort	concedit monasterio in loco Werid tutelam suam ac plenam immunitatem. Lacomblet Urkundenbuch des Niederrheins, I, 41.
„	„ 9.	„ „	confirmat ad preces Rimperti, archiepiscopi Bremensis pri-

a. regni.	a. Christi.	locus.	
1.	888 (II)		vilegia ecclesiae ejus et concedit eidem percussuram numorum et negotiandi usum in Brema, qualis Hamburgae habetur ac jus episcopi eligendi. Lappenberg hamburg. Urkundenbuch, I, 32.
„	Aug. 1.	Triburia	confirmat Chadolto episcopo Novariensi curtem Erchinga in pago Thurgowe, quam Carolus III ei donaverat, ita tamen ut post mortem ejus ad monasterium Augiam transeat. Dümgé Regesta Badensia, 79.
„	sine die	sine loco	permittit Heimoni ministeriali suo, ut in proprietate sua in pago Grunzwiti in comitatu Arbonis urbem aedificet, quo vassi ejus confugere possint atque edicit, ut ad publicum comitis mallum vel ipse vel vicarius ejus pergat eique tertia pars bannorum ex integro persolvatur. Kleinmayrn, Nachrichten von Juvavia, Anhang 118 (sine anno Christi).
2.	889 (VII) Juni 3.	Forahheim curte regia	concedit monasterio Campidona, ut sex carra ad Hallum, propter sal accipiendum

a. regni.	a. Christi.	locus.	
2.	889 (VII)		et alias res fratribus necessarias deducendas, absque thelonea dirigat. Mon. Boic. XXXI, 128.
„	Juni 5.	Forahheim curte regia	donat rogatu Hathonis venerabilis ac dilecti abbatis monasterio Augiensi praedia nonnulla in pago Perichtoldesbara in villa Esginga sita. Dümgé, 79.
„	Julii 6.	Franconofurt	donat episcopo Vuolfhelmo Mimigarde vordensi omnes res, quas in pagis Gifaron et Reimdi inter locos Seliheim et Solisun in beneficio habuit. Erhard Regesta histor. Westfaliae I, cod. dipl. 31.
„	Nov. 18.	„ „	confirmat ob preces Hathonis abbatis monasterio Augiensi curtem Pirningam in pago Nagoltgowe et Erchingam in Thurgowe. Dümgé, 80. Wirtembergisches Urkundenbuch, 188.
„	Dec. 4.	Ulma	donat Diethelmo fideli suo curtem Kachanangae in pago Thurgowe in comitatu Adalberti sitam atque aliam Wigoltingae positam. Dümgé, 81 (ind. VII!).

a. regni	a. Christi.	locus.	
3.	890(VIII) April 14.	ad Radesbonam urbem	tradit ac donat ad servitium St. Stephani ex illis hominibus, qui de aliis villis advenientes silvam St. Stephani exstirpaverunt, servos suos regios, quicunque illam marcam ad Grasamaresaha invaserunt et modo ibi sedent. Mon. Boic. XXXI, 133.
„	Juni 1.	Foracheim regali curte	donat episcopo Wiperto Verdensi res nonnullas sibi proprias, quas hucusque in beneficio tenuit in locis Vueinesvuald, Ballava, Muchurst, Gnettum, Heribrunno. Pertz Probedruck eines Urkundenbuchs d. welfischen Lande, 8.
„	„ 26.	ad Ulma curte regia	confirmat, deprecante Iringo comite et ministeriali suo concambium quoddam, quo fratres monasterii Utinburric cum licentia senioris eorum, Odalrici comitis, cuidam Kekisheri curtem Darki tradunt, qui econtra monasterio eorum proprietatem suam in loco Walo et duas hobas in Ostrindorf in pago Augisgawe, tradit. Mon. Boic. XXXI, 135.
4.	891 (IX) Febr. 4.	Regenespurg	donat Kotedanko episcopo Spirensi, Chuonrado comite

a. regni.	a. Christi.	locus.	
4.	891 (IX)		ac ministeriali suo deprecante, ecclesiam, quae Jebsheimii in comitatu Nordgowe sita est. Dümgé 82 (ind. VIII!).
„	Maji 9.	sine loco	donat rogatu Chonradi comitis et nepotis sui Stephano abbati in pago Calmenzgowe, in comitatu Stephani, in locis Gransvillari et Rosieres hobas 25 cum capellis duabus. Bouquet IX, 365.
„	Julii 21.	ad Matahhove curte regia	donat capellam sibi propriam, in partibus Sclavaniae, ad curtem suam Liburnam consistentem, ecclesiae St. Mariae Frisingensi atque ecclesiae St. martyrum Primi et Feliciani in loco Werid in iisdem partibus. Mon. Boic. XXXI, 137.
5.	892 (X) Janr. 21.	Zusemarohuson	confirmat electionem Hathonis archiepiscopi Maguntiacensis a monachis Augiensibus iterum factam atque omnes monasterii Augiensis possessiones ac privilegia. Dümgé, 82.
„	April 3.	Juvavensi urbe	donat Theotrico vasso Theotmari archiepiscopi rogatu Asperti dilecti episcopi in

a. regni.	a. Christi.	locus.	
5.	892 (X)		comitatu Arbonis in loco Medelicha septem hobas dominicales, quas Altmannus antea in beneficio tenuit. Kleinmayrn, 117.
„	Junii 5.	Reganesburc	donat per interventum Ribharii custodis sui monasterio Mettensi quinque curtes Ratisbonae collocatas. Mon. Boic. XI, 435. Ried. cod. dipl. Ratisb. I, 74.
„	Octob. 4.	Lentinchovon	donat feminae cuidam Irmburch de beneficio filiorum ejus Adalberti et Caganhardi, hobas duas in Mura et hobam unam in Diupodorf, in pago ad Pergon dicto. Mon. Boic. XXXI, 142. Lünig Spicileg. ecclesiastic. II, 213.
	893 (XI)		
6.	Juni 23.	Civitate Regia	donat Engilmaro episcopo Bataviensi ejusque ecclesiae mancipia quaedam cum rebus seu usibus eorum. Mon. Boica XXXI, 143.
„	Aug. 21.	ad Eberesburc	confirmat commutationem inter Waldonem episcopum Frisingensem et Jacobum vassum ejus, qui recepta quadam possessione in loco Incinmos iidem episcopo alias possessiones in locis

a. regni.	a. Christi.	locus.	
6	893 (XI)		Muotrichinga et Fidalesdorf et inter illa loca sitas tradit. Mon. Boic. XXXI, 145. Meichelbeck Hist. Frising. I, 2, 403.
„	Octb.22.	Ratensdorf	donat monasterio Cremisae rogatu Snelperonis abbatis omnes possessiones comitum Wilhelmi et Engilscalci ad Eporespurch, ad Cambe, ad Persiniacham atque in aliis Bavariae vel Slaviniae locis. Rettenpacher, 43.
	887-893 sine die	sine loco	donat Reginhardo vasso cuidam Theotmari rogatu Asperti episcopi et Engilscalci comitis in comitatu Roudberti in regno Carantano in loco Selezna duas hobas. Kleinmayrn, 110.
	sine die	sine loco	donat Odae moniali res nonnullas in pago Nordthuringa in comitatu Liudulfi in loco Wanzlewa, quas antea in beneficio habuit et confirmat, easdem monasterio Gandersheimensi ab illa esse traditas. Archiv für Gesch. u. Alterthumskunde Westfalens, VI, 1.
7.	894 (XII) Juni 5.	Wormaciae	confirmat rogatu Hathonis

a. regni.	a. Christi.	locus.	
7.	894 (XII)		archiepiscopi abbatiae Elwangae omnia privilegia ac praecipue jus abbatis libere eligendi. Wirtemb. Urkundenb. I, 196. Lünig III, 116.
„	sine die	(Wormaciae)	confirmat ecclesiae Tullensi privilegium antiquum, ne infra quattuor leucas ab urbe munitio ulla collocetur. Bouquet IX, 367. (sine anno).
„	sine die	ad Lorasham	donat Ludovico Bosonis filio, matre Hirmingarde interveniente, quasdam civitates cum adjacentibus pagis a Rudolfo possessas. Regino, 894.
	887-896 sine die	sine loco	tradit monasterio Gandersheimensi per interventum Otae conjugis et Hildegardae neptis suae in beneficium, quicquid habuit in Crufft et in Calechheim et in Blinzithi in comitatu Ermenfridi. Leibnitz scriptor. Brunsvicensia illustrant. II, 373. Extr. (sine anno).
9.	896 (XIV) Aug. 13.	Forcheim.	confirmat monasterium puellarum ab Hildeburg nobili femina et Fulcardo presbytero in loco Mollenbecke in pago Osterburg conditum idque in suum suscipit mun-

a. regni.	a. Christi.	locus.	
9.	896(XIV)		diburdium. Kuchenbecker analecta Hassiaca coll. X, 387. Erhard I, 118 Extr.
„	Nov. 20.	Regensburg	donat per obtentum Luitpoldi comitis Gumperto venatori suo in comitatu Iringi in loco Talhusen hobas IV, cum XII mancipiis et reliquis pertinentiis. Hund metropol. Salisburgens. II, 105.
11.	898 (I) Sept. 11.	.....hova	manumittit per interventum Purchardi abbatis atque Isangrimi comitis et dapiferi servum quendam Gumpolt secundum legem Salicam more solito. Mon. Boic. XXXI, 153.
12.	899 (II) Maji 1.	Regensburg	confirmat commutationem inter Meginwardum comitem atque episcopum Eichstaedtensem factam, quo receptis possessionibus Westheimii atque in pago Sualafelda in comitatu Ernusti in locis Appenperg, Prunnon, Hachilinga, Ursesheim, bona in locis Pappenheim, Maromarcha, Hohenstadt, Ellinga sitas tradit. Schultes histor. Schriften 2. Abtheil 334.
„	Julii 2	sine loco	donat per interventum Otae conjugis capellae Ottingensi

a. regni.	a. Christi.	locus.	
12.	899 (II)		a Carolomanno patre in honore St. Philippi apostoli conditae loca nonnulla, Rota et Judaheimma, in pago Isanahgowe, in comitatu Gumpoldi, aliaque in Veldaromarcho, quae antea conjux sua, deinde autem Deotricus presbyter ad dies vitae ejus tenuit, post hujus obitum a fratribus capellae illius possidenda. Mon. Boic. XXXI, 158.
	896-899 sine die	Ratisbonae	concedit Nithardo clerico cuidam res nonnullas, ad abbatiam inferioris monasterii pertinentes, in loco Hartchiribha, in comitatu Liutpoldi comitis cum consensu Odae conjugis in beneficium, post obitum ejus autem omnia ad abbatiam illam redeant. Mon. Boic. XXXI, 154. Wien. Jahrbüch. XLIV, Anzbl. 8 (s. a.).
	sine die	sine loco	confirmat, vassos monasterii Novae-Corbejae a militia, quam facere injuste cogebantur, liberos esse. Erhard. I, 40 (sine anno).

Appendix III.

De Sancto Mengoldo.

Si narrationem aliquam historiae speciem prae se ferentem, fabulosam esse demonstrare volumus, non solum argumentis nobis probandum est, eam cum factis certis pugnare, verum etiam aut ex proposito quodam esse confictam, aut a fama rerum gestarum profectam. Quam rationem in iis, quae de St. Mengoldo traduntur refellendis secuti, praeterea quoque exponere conabimur, quo tempore martyr ille primo adorari coeptus sit, dum miracula ejus simul litteris produntur. Mengoldus igitur ab anonymo, qui vitam ejus scripsit [1]), filius fuisse dicitur Hugonis regis Anglorum et sororis Arnulfi imperatoris. Neque ullus scriptor Anglosaxonicus, qui temporis hujus, quo magnus Aelfredus regnavit (871—901), res narravit, Hugonis reguli mentionem injicit, neque ullus scriptor Francicus nos de Arnulfi sorore vel de legatis ex Germania saepius in Angliam missis certiores facit. Atque etiam hoc ab auctore nostro falso affirmatur, Arnulfum, quem quattuor vel quinque genuisse liberos novimus, filios filiasque nullos reliquisse. Gravius autem eam ob causam accusandus est, quod Adhelem sororem Mengoldi Os-

1) Vita St. Mengoldi typis impressa est ap. Acta Sanctor. ed. Bollandi ad diem VIII Febr. mens. p. 191 sqq.

waldo Northumbrorum regi, qui contra paganos vitam amisisset, nupsisse refert, cum princeps ille jam a 642 ab hostibus occisus esset [1]). Nec si Bollandistis, Mengoldi patronis studiosissimis hoc demus, scriptorem multis seculis posteriorem Oswaldum cum Osberto confudisse res fide dignior nobis videbitur, animo volventibus, Osbertum jam a. 867 multo ante Arnulfi gubernationem a Danis interemptum esse [2]). Admodum quoque mirandum est, nec Reginonem, in cujus vicinia Mengoldi sita erant praedia, eum usquam commemorasse, neque ullum alium fontem contionem Mettensem ab imperatore habitam, vel expeditionem bellicam in Spinetum castrum susceptam cognovisse. Sed his omissis videamus jam, quomodo res a Mengoldo perpetratae cum computatione nostra temporum congruant. Arnulfus regnum adeptus (ideo non ante annum 888) dedit sororem Hugoni regi in matrimonium, qui Mengoldum filium et Adhelem (non ante a. 890) ex ea sustulit. Quae viro matura Oswaldo regi nupsit (a. c. 905), eique Arnulfo regnante Richardum filium peperit (a. 906). Postea Oswaldo mortuo, Mengoldus cum Richardo in Franciam ad Arnulfum avunculum se contulit, ubi ille diutius in aula moratus, Willelmo comite defuncto, viduam ejus Geilam anno uno post mortem mariti uxorem duxit. Quas nuptias mox graves secutae sunt inimicitiae inter Albricum, Geilae fratrem ac Mengoldum et certamen singulare inter Richardum et Liethardum Willelmi et Geilae filium (a. c. 926). Quo mortuo bello civili ab imperatore ipso finis tandem imponitur. Cum scriptor vitae Mengoldi, quem hic praecipue secuti sumus, nullum omnino pro-

1) Lappenberg Gesch. v. England I, 156. 2) ib. p. 302.

dat annum, silentio transire possum, ab aliis mortem Mengoldi, qui post res illas per septem annos poenitentiam egit, anno 909 assignatam esse. Haec pauca sufficient ad persuadendum, res omnes a matyre nostro gestas, cum chronologiae prorsus repugnent, pro commenticiis esse habendas. Adde quod tota narrandi ratio, a verisimili valde abhorrens stultitiam monachi alicujus redolet, qui frustra nugis suis veri speciem dare enititur. Fingit igitur, ut exemplum afferam, Liethardum, qui matrem pede percusserat, a Richardo toto exercitu hostili hoc spectante neque impediente, obtruncatum esse, qui ut omnes homines eo, parentes colere discerent, pedem ejus abscissum in janua ecclesiae suspenderit. Ejusmodi omnia sunt, quae referuntur.

Attamen, ne auctori nostro, qui ipse, se famam, qualis a majoribus tradita esset, solam reddidisse fatetur, mendacii maculam aspergam, quae totius narrationis fuerit origo, explicabo. Vixit sub Ludovico Germanico et Arnulfo rege Megingaudus quidam comes, qui etiam Manigoldus vocatur [1], pagis Lotharingicis Meinefeldensi [2]) et Wirmacensi [3]) praefectus, nepos i. e. consanguineus Odonis regis Franciae occidentalis [4]). Hic, Giselae maritus [5]), cum a. 892 ab Alberico comite e medio sublatus esset [6]), magna orta est inter Lotharingios discordia, quam nescio an sedaturus Arnulfus a. 893 ineunte [7]) hanc provinciam perlustraverit. Albericus autem ille a Megingaudi amicis ipse postea occisus est [8]). Vix igitur aliud quidpiam ex tota St. Mengoldi vita fide dignum remanet atque nomina

1) Flodoard. Hist. Rhem. IV, 3. 2) Martene et Durand Coll. ampl. I, 223 (Böhmer 1029). 3) ib. p. 188 Charta Hererici. 4) Reg. 892. 5) Miracula St. Walburgis (AA.SS. ad diem XXV. Febr. m. p. 535).
6) Reg. 892. 7) ib. 893, Ann. Fuld. 893. 8) Reg. 896.

Mengoldi, Gislae, Albrici, Balduini, Arnulfi ex historia vera deprompta et fabulis intermixta. Neque, etsi revera Megingaudus comes violenter necatus est, tantam Hoyensium venerationem meruisse videtur, quippe qui, cum abbatia St. Maximini ei a rege donata esset, ipsum martyrem servum se recepisse jactaret, poenam divinitus immissam mox subiturus [1]).

Difficile est exploratu, quo tempore sanctus ille vir, reliquiis ejus in lucem prolatis, Hoyi [2]) publice adorari coeptus sit, neque id ante annum 1173 evenisse, ex eo sequitur, quod a scriptoribus Leodiensibus [3]) de translatione St. Domitiani Hoyi hoc anno facta fuse referentibus, de illo prorsus tacetur. Prima enim mentio ejus apud Albericum, qui a. 1241 chronicon suum finivit, s. a 1224 occurrit [4]), quo ecclesia ejus Hoyi constructa publico sumptu reficta est. Itaque saeculo XIII ineunte et corpus ejus nescio quo fortunae casu inventum est, multis celeriter miraculis illustre, et vita a monacho aliquo, vulgi rumores suis ipsius ineptiis exornans, conscripta. Certius fortasse de hac re dijudicare possemus, si chronicon Leodiense, quod s. a. 896 mentione ejus facta [5]), ad annum 1192 usque perductum est, num hoc ipso anno scriptum sit, sciremus. Quae scriptores recentiores atque etiam Bollandisti de diversis fabulantur Mengoldi translationibus, omnibus carent argumentis neque haec tota narratio tam amplo digna fuisset commentario, nisi nuperrime vitam Mengoldi magni esse momenti censum esset [6]).

1) Sigihardi miracula St. Maximini (Pertz SS. IV, 230).

2) Huy inter Leodium et Namurcium ad Mosam situm.

3) Aegidius aureae vallis c. 51 (ap. Chapeaville gesta pontific. Tungrensium II, 124), Alberici Chron. a. 1173 (Leibnitz access. hist. II, 357). 4) l. l. p. 513.

5) Martene Thesaurus III, 1406. cfr. Magnum chronic. Belgicum ap. Pistorius SS. rer. German. ed. Struve III, 79.

6) Archiv für ältere deutsche Geschichtskunde VIII, 497.

TYPIS C. FEISTERI.

Corrigenda:

p. 19 text. lin. 7 pro puncto comma ponendum est.
p. 20 - - 5 lege Redeamus.
p. 36 - - 15 - vetuit.
p. 48 annot. 7 - 1 - Folcuini.
p. 57 - 1 - 1 - Arelatensis.
p. 63 text. - 1 - Italiam secreto advocavit.
p. 64 - - 9 - dimicationis.
p. 78 - - 1 - quod.
p. 89 annot. 2 - 2 - Puohunna.
p. 95 - 7 - 1 - amorem.
p. 97 text. - 9 - liberet.
p. 110 - - 23 - optimatibus.
p. 110 - - 25 - potuit.
p. 120 - - 8 - deliberare.
p. 137 - - 9 - Giulinius.
p. 139 - - 23 - soli.
p. 144 - - 19 - Ungaris.
p. 149 - - 20 - Odoacrum.
p. 150 annot. 5 — 8 adde post „Reschius" (Annal. Sabionenses II, 285 adn. 624.)
p. 151 text. lin. 19 lege depraedationes.
p. 153 - - 1 - Arnulfus.
p. 155 - - 9 adde post „Ebilinguae": (Aibling).
p. 156 - - 6-7 lege cessatione.
p. 159 annot. 6 - 2 - *μεθυσθέντα.*
p. 160 text. - 15 - accusatus.
p. 164 - - 11 — 12 lege siccatis.